TVBVS
GALLILÆANVS.

HEBESCENTIBVS
LVDOVICI CAMERA-
RII OCVLIS, IN LITVRA HISPANICÆ
Cancellariæ malè aduertentibus, ad clariùs
videndum tornatus

à


FABIO HERCYNIANO.

ADDITIS IN FINE TESTIMONII
causâ, & pro Tubo, & pro Rhabarbaro,
ipsius Camerarij epistolis.





Anno M. DC. XXV.



Lectori.

QVIS *Animaduersionum in Lituram meam auctor sit, certò affirmare non ausim; Camerarium nominare non audeo, quia quæ facit, videri non vult fecisse. Aliquis saltem è Socius est, & quidem Camerarij fratrem dicerem, si quem tam nobili familiæ propagandæ superesse scirem, adeò pari arte & fuco, sua comit & ornat. Sed indicium me quoddam minimè fraternum ab hac mente alienat. Camerarius luce palàm, spectante vniuerso orbe, Euangelia temerarijs digitis tangit, & spreto Numine iurat Cancellariam Hispanicam suum partum non esse; hic autem Animaduersor, qui Camerario in partu haud dubiè obstetricatus fuit, disertis verbis affirmat, pag. 48. vbi obtusis in me cornibus arietat, quòd aliter acceperim, & explicarim* Verba Domini Camerarij. *Has certè proditio fraterna esse nō solet, & tamē neq; Animaduersor, quisquis est, Camerario amicitiæ iura renuntiauit, quia pro latere eius se obijcit sæpius, defenditque adeò scitè, vt amico nihil opis adferat, & se ipsum hostili ferro induat.*

Neque vni tantùm Camerario suppetias ferre conatur, sed vniuersæ Ordinum quorundam Vnioni à nemine lacessitæ. Quid enim Fabio cum Vnione negotij? Caluinistas duntaxat peiora eius membra imminentem Imperio pestē scriptis insectatur, alios, quos seditiosæ indolis incautos fraus vestra propè ad præcipitium traxerat, quia Caluinistas res suas sibi habere iusserunt, & ipse Fabius missos facit. Quid enim in illos pugnaret, qui ab hostibus ideo abierunt, ne aduersus nos pugnarent? Catholici pacatiore fato nati inter ciues, & cognatum sanguinem, stabilire pacem cupiunt, & qua datur quiete frui.

Tu mi Animaduersor, tu mi Camerari, tu quisquis rebellis es, calamo meo mactanda præda statis. In vos solos Caluinistas incurro, vos solos ferio, quia vos soli fuistis, & estis hostes. Sed tu in ingressu libri tui imparia arma, & dolosa, quibus in vos vtimur, stomachosè execraris. An quia sentis inflicta vulnera? idcirco pulsatus es. Sed quæ sunt illa nostra arma minus honesta? Adscribimus vobis fortasse libros, quos vos non scripsistis? Hæc certè tua odiosissima querela est, & propè totum tui libri proludiũ implet. Superiore anno editus est à quopiam liber Caluinisticarum Consultationum, Protocollum Heidelbergense *inscriptus, hic ita concitauit Palatinianos, vt præ ira in auctorem viscera ipsa cum felle effundant. Quid ita? an liber ille fictus in capita innocentum? hoc neq; dicunt, neque audent: Baronis Tschernembelij esse aiunt. Si de charactere loquuntur, assentior; si de re & consilijs ipsis ambigo, quia quædam ex aliorum ore transferre in suum codicem potuit, ne solus in scelere ingeniosus esset. Quid ni Senator aliorum Senatorum audiret sententiam, & cum suis maritaret, ac maturaret? At Consiliarium Palatini non fuisse Tschernembelium Animaduersor scribit; rectiùs, haud dubiè, credo Principis Matri, quàm Principis Ministro, qui per adulationem in vtrumque linguam versat. Mater illa ad ægrotum Tschernembelium scribens inter cætera doloris sensa memorat etiam iacturam consiliorum, quæ Tschernembelius potuisset filio tot fortunæ casibus afflicto impendisse. Fuit ergo citra dubium Palatini Consiliarius, qui Palatino consilia subministrauit. His Tschernembelius, vt Lector hominem noscat, in superiore Austria natus, libero genere, natura dotibus diues, inops diuinarum; egregium ingenium Caluinianâ labe corrupit. Ex ea inter factionis Principes, eloquentiâ spectatus, Consilio aduersus Principes suos vbique expedito, linguâ promptus & audax, vt neque Imperatoriæ Maiestatis aures vereretur; communis Ordinum Causidicus. Vbi res retrò labi supra Anasum capère, in Bohemia tuta confugit, daturus eadem Palatino consilia, quæ illum iam domo eiecerant, eiectura etiam capientem. Pragæ Senatui bellico præpositus operam omnem ad bellum contulit, adeóq; diligenter, prudenterque commissum an vltrò susceptum munus obijt, vt vana illa, & superba Caluinistarum temeritas tragicum habuerit exitum. Cùm alij fugerent, nec ipse mansit, in superiorem Palatinatum elapsus. Vbi*

cum

cum illum Bauarica aura è propinquo afflaret, saluti metuens, morbum in VVirtenbergia reperit, quo depulso, Heidelbergam venit, relicto, cum rursus fugiendum esset, Consultationum suarum libro, quem aut domi scripsit, vt promptiùs in Senatu suam symbolam conferret, aut ab aliorum ore excepit; quis enim dubitet alios quoque eadem tractâsse consilijs, quæ palam agebant armis? aut cur domi hæc meditaretur Tschernembelius & publicè alia suaderet? cogitauit hæc omnia, vt fierent omnia. Itaque mi Animaduersor, Protocollum hoc Heidelbergense appellatum est, quia Heidelbergensis Consiliarij industriâ scriptum est, quia Heidelbergæ repertum est, tametsi non veteri tabularii loco. Plurima iam ab extrema metuentibus submota fuere, & varijs per Vrbem fornicibus condita, ita vt Cancellaria distracta pluribus locis inueniretur, & cum ea quoque Protocollum, quod nos docuit mentem vestram, ad vniuersi Imperij interitum spectâsse; Et interim vos libertatem prætenditis. Non iniuriâ fortasse, nam obtentis omnibus, ad qua adspirabatis, liberi omnino fuissetis, ac ab omni parte securi, sed sine vicino.

* *
*

TVBVS GALLILÆANVS

HEBESCENTIBVS

LVDOVICI CAMERARII OCVLIS IN LITVRA HISPANICÆ CANCELLARIÆ

malè animaduertentibus ad clariùs videndum tornatus

à

FABIO HERCYNIANO

I. C.

Q VIA Animaduersor meus Argum imitatur, & centum oculos in librum figit, nec librum solùm intuetur accuratè, sed vestibulum ipsum accuratiùs lustrat, & animaduersionibus condecorat, sequemur eius vestigia, & propugnabimus, quâcunq; impetum facit.

ANIMADVERSIO I. Scripseram, Caluinistas inuerso rerum ordine à verberibus ad verba, & calamum descēdere. ℞. Animaduersor. *Bauaros priores in lucem edidisse Cancellariam Bauaro-Anhaltinam, in qua Vniti, & inprimis Reformatæ religioni addicti, multorum atrocium criminum cùm accusentur, nemo non videt, illis prouocatis, de tuenda per publica scripta existimatione, & fama, etiam inuitis cogitandum fuisse.*

CASTIGATIO. Primi nos nequaquam fuimus Scriptores, mi Animaduersor, nam vt taceam plurimos libellos alienæ famæ fures, & nobis nouâ, eâdemque barbarâ insolentiâ, omnem belli cladem denunciantes, terrentésque, Hussitica campana illa detestabilis, illa tumultuosa buccina quoties per Germaniæ oras ferali sono in bella excîre ausa ciues? Affatim certè tibicinum pridem erat, si tam cruenta Martis chorea delectâsset meliores. Cùm Cãcellariam Anhaltinam emisimus, nihil, quod nostrum est, emisimus; totum id vestrum est, qui si nihil scripsissetis, nihil nos vulgâssemus. Deinde non fuit vllius prudentiæ, per scripta famam vestram iam perditam tueri, sed laborandum priùs fuisset, ne perderetur. Publicum facinus nullis verbis purgatur, & frustra insumitur tempus propugnando delictum. Imprudentia igitur vos prouocauit, vt publicè negaretis, quod publicè patrâstis.

ANIMADVERSIO II. Scripseram Caluinistas per multos annos armaria implêsse. ℞. Animaduersor. 1. *Bauariæ Ducem, aliósq; Catholicos idem fecisse. 2. multis annis ante initium Vnionis variis apud Lutheranos locis fuisse armamentaria,* non rectè igitur à Fabio Reformatos accusari.

CASTIGATIO. Vituperio vobis Fabius non dedit diligentiam in procuranda re militari, aduersus belli propulsandi iniurias, ob quem solum finem arma parari possunt; sed quòd paraueritis ad struendas Catholicis insidias;

hociam nos ſcimus, antè ſuſpicabamur, ob iactatas publicè minas non vulgò ſolùm, ſed in Comitijs quoque, in ipſa Imperij Curia, in ſacroſancto Principum Senatu, anno 1607. Legatus certè fuit, qui irâ prouectus temerariam hanc vocem miſit, *Rem eò deueniſſe, vt nulla ſpes ſuperſit, niſi in liueſcentibus oculis:* quo genere loquendi ſignificare voluit ita contundendos eſſe Caluiniano pugno Catholicos, vt liuor, & cicatrix victos vultus obſideat, ac dehoneſtet; Ergò apparatus veſter etiam nos prouidos fecit; pariter arma parauimus, vt ictum iam vix dubium exciperemus reddituri vicem. Oſtende paria ſcripta, quæ è calamo noſtro profluxerint, qualia veſtra ſpectantur.

ANIMADVERSIO III. Scripſeram libidine motos Caluiniſtas ædificâſſe fanum profanum in alieno ſolo. ℞. Animaduerſor. *Hos architectos fuiſſe Lutheranos, non Caluiniſtas.* Caſt. Credat qui volet; patroni certè turbæ excitatæ fuere Caluiniſtæ, Picarditæ, Brüder/ & neſcio, quæ ſeculi noſtri portenta, ſolent hi non rarò Lutheranam laruam induere, ne noſcantur; tralucent tamen.

ANIMADVERSIO IV. Scripſeram Caluiniſtas ius violentum dicere. ℞. Animad. *Proceres Bohemos, qui manus Slauatæ, & Smitzanskio iniecerant, Lutheranos fuiſſe.* CASTIGATIO. Scilicet; ſed demus Lutheranos fuiſſe; Caluinianâ furiâ incitati patrauere, quæ Caluinianorum ſunt, non Lutheranorum.

ANIMADVERSIO V. Scripſeram Principẽ Darmſtadien-

ſtadienſem contra ius, fas, à Caluiniſtis nihil hoſtile metuentem, captum fuiſſe. ℞. Animaduerſor. *Malè, nam Landtgrauius Ludouicus cùm in petita, & articulos quoſdam, ſibi propoſitos conſentire nollet, & nocturno tempore ex arce Darmſtadiana per notos ſecretos meatus clàm exÿſſet, incidit fortè fortunâ in ſtationes militum Badenſium, à quibus è fuga retractus, & Darmſtadium reductus fuit.* CAST. Certum, & rectâ conſcientiâ Landtgrauium conſtitiſſe, etiam appropinquante exercitu veſtro, quia cùm ipſe vobis hoſtis non eſſet, nec vos hoſtes metuebat, ſed hoſpites, quos vos mẽtiebamini: Ergò vbi aduertere cœpit diuertentium ingenia inimica & inſidioſa, per clandeſtinum abitum ſibi quærendam ſalutem exiſtimauit. Quâ autem vos iniuriâ irritati pergentem retraxiſtis? quâ licentiâ Laudum duxiſtis, & cuſtodiæ tradidiſtis? An fas fuit Principem Imperij liberum in veſtra verba adigere? & vim facere, niſi improbis poſtulatis acquieſceret? Neque verò hoc facinus diluis, cùm dicis à Badenſibus Lutheranis Landtgrauium captum. A quibus tandem captus ſit, militârunt turbines illi Caluiniſtico Palatino. Si alij peccârunt capiendo, vos maius flagitium patrâſtis retinendo. Excuſarem vos, ſi dimiſſetis, antequam adigeremini.

ANIMADVERSIO. VI. Scripſeram temeritatẽ Caluinianam nouis ad Heidelbergam vallis indidiſſe nomina trutz Kayſer/trutz Bayr. ℞. Animaduerſor. *Speculum,*

& turrem antiquam iam inde à temporibus Friderici III. Imperatoris, vulgò vocatam fuisse trutʒ Kayser.

CASTIGATIO. Si nomen superbæ audaciæ priscum est, etiam audacia vestra iuuencula non est. Dein nomen hoc vesanum à specula in propugnaculum recens translatum, recentiorem quoque contumaciam prodit.

ANIMADVERSIO VII. Scripseram à Camerario, & Plessio Palatinum prauis consilijs euersum. R. Animaduersor. *Ante editionem Bauaro-Anhaltinæ Cancellariæ à nemine vnquam Consiliarios Palatinos prauorum consiliorū accusatos fuisse.* CASTIGATIO. Totus mundus, antè, quàm quidquam ederetur, damnauit, & adhuc eos omnes damnat, qui rebellionem suaserunt, fouerunt, & adiuuerunt; sed hoc fecêre Consiliarij Palatini, quod pariter constat toti mundo; nisi fateri malint se pecorum ritu sine consilio aliena stabula occupâsse.

Sed interrogat meus Animaduersor. *Cur Fabius Camerarium & Plessium solos oppugnet?* Respondeo. Fabium sua paucis dicere, vt plures intelligant. *Dicit Fabius,* ais, *se omnia acta, omnes litteras, omnia scripta Consiliariorum Heidelbergensium Pragæ reperta perlegisse. Si hoc verum est, legit etiam sine dubio paginas (vnâ cum Protocollo) quibus quatuor Consiliariorum Palatinorum, nempe Comitis Solmensis, Cancellarij, Plessij, & Camerarij iudicium de*

Electio-

Electione Bohemica continetur. Cùm enim illi Francofurti essent, & ab Electore Palatino iuberentur sententiam suam hac de re ipsi perscribere, illi diligenter quæstionem hanc examinârunt, & rationem tam pro negatiua, quàm pro affirmatiua parte militantes in scriptum reductas, Electori (rem totam ipsius iudicio subijcientes) miserunt. CASTIGATIO. Scripta omnia Pragæ reperta lecta esse non inficior, sed nego omnia reperta Pragæ. Pars aliò, quàm ad Musęum Anhaltinum diuertit, pars à fugientibus ingesta fuit peris. Si omnia vestra in lucem venissent, vos lucem ampliùs non sustineretis; vix iam apertis oculis in exilio vagabundi erratis. Neq; admodum desideramus consilium vestrum Francofurto missum; satis hîc legimus, quia apertè fatemini rationes à vobis pro parte affirmatiua allatas. Sanæ mentis hominibus nulla ratio occurrere potuit, quâ regnum alienum suaderetur. Agglomerare licebat argumẽta omnia, ne Palatinus, quod offerebatur, acciperet; In altera parte, vt omnia impedimenta taceamus, obstat Decalogi præceptum, quo vetamur aliena cupere, aut rapere. Et perinde est, mi Vir, ac si tuus Princeps à vobis adulterãdi consilium petiuisset, ausúsne tum fuisses vel vnum argumentum proferre, quod facinus suaderet?

Præterea, inquis, *sciendum est super causa Bohemica, Electorem Palatinum non tantum suorum*

Consiliariorum, verùm etiam multorum Principũ, quarundam item Rerumpublicarum in Imperio, & extra Imperium sententiam, & consilium exquisiuisse; & tandem nemine dissuadente, nec iustitiæ causam in dubium reuocante ad Electionem, & Vocationem Ordinum Bohemiæ amplectendam animum induxisse. Respondeo. Parũ veri te promere. Primò enim Socer Anglus cupiditati vestræ tam immani aduersatus est, testibus litteris regiâ manu signatis, teste etiam ipso Camerario in epistola ad Principem Anhaltinum anno

Vide lit. A. 1519. 14. Iulij inter hæc scribente. *A Britannicis actionibus non parum mihi metuo. In summo secreto certior fio Britannum ad Saxonem dedisse litteras, & in ijs dicere Ferdinandum omnino Regem esse Bohemiæ rémque mali fore exempli, si Status Bohemiæ saluis priuilegijs & religione se submittere nolint.* Hæc Camerarius pro honore, & recto Britanni animo satis, pro se nimium. Quia si Ferdinãdus Rex censetur, quo loco habebitur Palatinus, qui coronæ Bohemicæ procus ascensum thori festinat? Deinde metuit Camerarius sensum, & sententiam Britanni, *Bohemis scilicet parẽdum Ferdinandi imperijs, si iusta præcipiat.* Hoc dictum aures Camerarij admodum vulnerat, quia omnes spes Palatini euertit, ideóque Camerarius metuit, ne quid boni fiat. Tertiò manifestum hinc est, quantopere Camera-

rius

rarius pacem desiderârit, cùm actiones Britannicas ad pacem spectantes horreat. Sed & alibi in Britannum saniora volentem inuehitur in epistola ad Cancellarium Heidelbergensem Brunnæ data 8. Feb. St. nouo anno 1620. vbi ita scribit. *Nemo plus nostra causa nocet, quàm magna Britannia Rex suâ cunctatione, & tricis philosophicis. Huius exemplo excusant se alij, quibus iste prætextus optatus est. Deus meliora.* Omnino Camerari, *Deus meliora*; sed à te inchoët, quia parum boni possides, cùm tam multa mala è pectore tuo promas. Pacis cogitationes, & prudentem Britanni cunctationem in iuuando alieni regni furto, tu *tricas philosophicas* appellare audes, & doces nos eum, qui hæret, & cunctatur septimum decalogi præceptum violare, *tricis philosophicis occupari.* Liceat, quod lubet, vera philosophia est apud Camerarium. Sed ne nimium digrediamur, præter Socerum dehortantem, nihil etiam suasit Elector Bauarus, nihil Elector Saxo, nihil alij Septemuiri; neque tu eorum nomina, quos tuarum partium fuisse iactas, exprimere audes. Et si qui suasissent, nominati haud dubiè erubescerent, atque etiam, si non consilium, saltem consilij proditorem damnarent. Itaque potes tu citra periculum de infinitis mentiri, quia nemo confessurus prodibit. Laudare te hoc loco habeo Animaduersor quisquis es, ob confessionem, quam ex Camerario etiam temulento nec fidiculis expressissem. Negat ille, quantâ vi potest, se aucto-

Vide lit. H.

 rem:

rem fuisse Principi suo, vt Bohemiæ turbis se inuolueret, alienúmque diadema sibi deposceret, & tu candidè id palàm fateris, totíq; mundo promulgas, cùm dicis: *Ex Consiliariis neminem dissuasisse, nec iustitiæ causam in dubiam vocâsse.* At verò Camerarius vnus de Consiliarijs fuit, ergo nec dissuasit, nec de iusta causa dubitauit. Oro enim te, quid est in Senatu dicere? *Non dissuadeo, de iusta causa nō ambigo,* quàm dicere; *meâ sententiâ fieri potest, suadeo iusta causa est.* I, Palatine quò te cupiditas trahit, Bohemi vocant; arripe sceptrum, regnum, quod aufertur alteri offertur tibi, tuū est: si velis, in alijs fidem colas, in regni obuentu viola; exime animo religionem, & aude.

Quòd autem culpam infelicis successus ab Heidelbergensibus amoliris, eámq; in consternatos prælio Pragensi Socios, atque etiam in defectionem fœderatorum pertinere contendis; frustra laboras; scio plures fortunam iam inclinatam præcipitâsse, & tamen quidquid tristis euentus fuit, ex origine Heidelbergensi proficiscitur, nam omnia tentaturis omnia metuenda fuissent, nihílque inchoandum, quod securè finiri non poterat. Hîc erratum est primò: hic error princeps vester est, Consiliarij, & quidem tantus, vt etiam in exilio duret; quia viam ad patriam nondum inuenitis. *Multus,* ais, *Fabius est in deprædicandis Bauarorum, & reliquorum Ligistarum fortibus factis;* Imò verò minimè multus fuit, nam de industria parū narrauit, verbo tantùm meminit, vbi vsus erat,

Tillium,

Tillium, ais, *cum reliquis Ligæ ductoribus, quotiescunque cum paulò peritioribus, & circumspectioribus belli Ducibus ipsis res fuit, non semper egregiam adeò laudem, aut spolia ampla retulisse*. O imprudentiam Camerarianam! quod verbum tibi excidit? nostrine Duces tantùm magni fuêre, cùm vestri parui erant? nostríne concessêre vestris paulò peritioribus, & circumspectioribus? ergò quia firmo pede intulere signa ad Pragam, & fudêre robustissimum exercitum, non fuit Dux peritus, neque circumspectus Anhaltinus militiæ famâ apud vos Clarissimus? Quid dico? Si apud Winphingam paulò peritior, & circumspectior fuisset Badensis Marchio, iam Catholici omnes militare funus fuissent. Nec Halberstadius duobus prælijs, quibus ipsius copiæ concisæ fuêre, satis peritus, aut circumspectus fuit. Ità aliorum bonā famam accidis in gratiam Mansfeldij; qui sine dubio circumspectissimus est & habetur, vbique enim opportunitatem inuenit, quâ fugiat. At tu certamen eius, quod cum Tillio ad Wiselocum inijt, extollis, item furta eius, ac insidias in finibus Bohemiæ, & Palatinatus superioris? Item impetum illum ad Namurcum, quo Cordubensem aciem inuasit; egregia verò ista prælia, & triumphis digna! Ad Wiselocum Tilliana acies turbata quidem fuit, sed non Mansfeldianis armis; imò Mansfeldius accepto cruento colapho præproperus abibat, neque de solutis Tillij Ordinibus illi quicquam con-

stabat,

ſtabat, non defuiſſet alioqui fortunæ, ſed perſecutus fuiſſet victoriam, ſi quam habere ſe ſciuiſſet. Pagus vtramque dirimens aciem, atque incendio fumans vtrinque ignorantiam obiecit; Tillius ſuos turbatos vidit, Mansfeldius ſe victum credidit, ideóque campo cedere deproperauit. Ad Bohemiæ fines perfidè egit Mansfeldius, conuentáque Vlmenſia violauit, nam Baurium fortiſſimum Tribunum ex improuiſo adortus cecîdit quidem, nequaquam autem Tillium; neque eo in loco iuſta pugna fuit, cuius Mansfeldius nunquam appetens eſt; optimus aliàs Dux, cùm fraudibus, & fugâ res geritur. Neque nobilior eius dextra ad Namurcum habita; eminùs ille armis, quibus non vſurus erat, inſignis, alios in diſcrimen miſit, ac potiſſimùm Halberſtadienſem ætate ferocem, & in ea ipſa pugna brachio mulctatum, cuius virtute aciem Cordubenſem quidem euaſit, ſed fugientis more, tantùm enim pugnauit, vt euaderet; ſtetit intereà inuicta Cordubæ virtus. Atque hęc ſunt Mansfeldij prælia, victoriæq́; quas ita perpetuauit, vt tandem omnibus, quas poſſideret, terris exceſſerit.

ANIMADVERSIO VIII. Scripſeram Conſiliarios Palatinianos euenta fatis tribuere. ℞ Animaduerſor, & de prouidentia Dei diſputat, de ſua debebat, quam non habuit, cùm bellum ciuile ſuaſit.

ANIMADVERSIO IX. Scripſeram. Cùm anno huius ſæculi 7. 8. Cæſar ſubſidia aduerſus Turcas poſtulâſſet,

ſet, non magis fauentes Caluiniſtas, quàm ipſos Turcas inuenit. ℞. Animad. *Non tantùm reformatos, ſed ferè omnes in vniuerſum Lutheranos, imò complures etiam Pontificios non admodùm ad talia ſubſidia ſubminiſtranda propendere.* CASTIGATIO. Equidem non neſció nulli volupe eſſe alteri ſuos loculos affundere; ad propulſandum tamen commune periculum quiſque bonorum promptus eſt; ſoli Caluiniſtæ, paucíque alij ab ipſis decepti, refragantur.

ANIMADVERSIO. X. Fabius conuentum Proteſtantium anno 1619. Norimbergæ Concilium Caluiniſtarum vocat. Reſpondet Animaduerſor. *Imperitè & inſulsè.* CASTIGATIO. Cur verò imperitè, & inſulsè? Noui omnes Principes, qui interfuêre, non autem noui omnium religiones; honori vos habituros arbitrabar, ſi à vobis denominarem illud Concilium, Caluiniſtarum potiſſimùm causâ & operâ indictum? Si Lutheranum indigetâſſem, fremerent Lutherani, & iuſtiùs: Euangelicum non volui, ne miſcerem Lutheranis Caluiniſtas ab Imperio non receptos.

ANIMAVERSIO. XI. Scripſeram: Miſſi ab eo Conuentu ad Bauarum Monachium hoſtes potiùs, quàm Legati, adeò infeſti eorum vultus, trucia verba, minæ feroces, vt gerere iam bellum, non indicere viderentur. ℞. Animaduerſor. *Viuunt adhuc Fredericus Comes Solmenſis, & reliqui tres Legati, quos audimus prouoca-*

re ad omnium, qui cum ipsis conuersati sunt, Aulicorum testimonium, præcipuè verò Baronis Töringij stabuli Præfecti, Domini de Wensin, Domini Tanneri, Tribuni militum Mortagnij, Magistri Culinæ, & aliorum, qui ipsis in mensa adfuerunt.
CASTIGATIO. Singula lustremus; & primò ad humanitatem compositos Caluinistarum vultus, qui haud dubiè pares esse debebant animo, sed animus exacerbatus erat, & Marte plenus. Dein nouerunt pro tempore & loco temperare sui aspectum Caluinistæ; super mensa inter epulas, & lęta pocula ad similitudinem vultus resplenduit, & bardus omninò forem, nisi præbibenti mihi & pręben-ti nectar non arriderem; non semper atræ nubes cælum vestiunt, serenatur subinde, ita & frons, præsertim si ars Caluinistica accedat. Trucia verba & minas, quo nomine inficiamini? Pacem portâstis, an arma Monachium? Quid trucius, quàm dicere? *Ad hæc, quæ flagitamus, capita annue. Hæc enumerata sine vlla disceptatione, & tergiuersatione concessa nobis volumus; cætera litigio permittantur, & à paribus decernantur. Quid minacius? nisi intra duos menses dignum libidine nostrâ responsum dabitur; neque necessitati, neque occasioni nostræ deerimus.* Hæc Legati armatorum iam Principum. *Amica certè legatio, amica verba*, quibus paria, cùm apud Camerarium vsurpo,

vocor

vocor *detestabilis, crudelis, impudentißimus Fabius.* Puto & vestros Legatos habuisse dentes. Extat eorum Legatio; qui dubitat, legat. Igitur ad acta sua prouocent, non ad conuiuatores, nisi fortasse Plessio hæc prouocatio concedenda videtur, quòd iam esuriat.

CIRCA CONSIDERATIONEM PRIMAM.

ANIMADVERSIO I. Scripseram Caluinistas primos auctores fuisse Seditionis in Bohemia. ℞. Animaduersor. *An hoc verum sit, videat Lector, responsionem ad Cancellariam Bauaro-Anhaltinam p. 1. c. 5.*

CASTIGATIO. Iam vidi, & firmiùs credo; nec impudentia negauerit iaculatores illos hominum ex alta Curia Caluinistas fuisse.

ANIMADVERSIO II. Scripseram Caluinistis inditum bella ex bellis serere, pios inauditis supplicijs mactare. ℞. Animadu. *Hæc propria esse Romanensium, & inauditam crudelitatem in valle Telina recenset.*

CASTIGATIO. Vera me scripsisse testimonio est Gallia, Belgiũ, aliæq; Prouinciæ Geneuẽsi peste infectæ. Quis tot armis concitauit Gallias? Caluinistæ. Quis Belgium concussit? Caluinistæ. Quis Bohemiam efferauit; Caluinistæ; & propè nulla apud Europæos bella tanto tempore fuissent, nisi Caluinistæ tympana pulsâssent. De incolis Telinæ Vallis quod narras, sæuitiam vestram demonstrat; vos enim Caluinistæ facturi eratis, quòd passi estis,

ſi facinus occupare licuiſſet. Et ſuadeo tibi, vt mecum exercendi hoc genus certaminis, arenam ne ingrediaris, alioquin oſtendam tibi apud vos Buſiridis aras humano ſanguine fumantes, paſtos Diomedis equos, & Mezentij compoſita funera. Efflaturus animam Caluiniſtarum clementiam implorabo, impetrabo beneficium, vt citiùs moriar.

ANIMADVERSIO III. dixeram, Auguſtanæ Confeſſioni addictos ægrè laturos, Reformatos Euangelicorum ſibi nomen vendicare. ℞. Animadu. *Fabium errare, quòd illi nullam hac de re controuerſiam moueant.*

CASTIGATIO. Animaduerſor aut nihil legit, aut diſſimulat ſe legiſſe, plùs quàm hoſtiles contentiones Heidelbergenſes inter & Tubingenſes; Ab his Caluiniſtę multorum errorum damnantur, quod Euangelicum non eſt, neque Lutherani permittunt, vt Euangelici illi appellentur, qui Euangelium deprauant.

ANIMADVERSIO IV. Scripſeram Caluiniſtas ex ſacro Bibliorum codice ſacrilegâ manu per multos libros excîdiſſe. ℞. *Animad. Callidè à me diſſimulari; etiam à Lutheranis eoſdem libros pro Apocryphis haberi.* CASTIGATIO. Imitaris pueros, mi Animaduerſor, fortè obiurgatos, qui ſocios compellant, ne ſoli vapulent. Mihi cum Lutheranis pacem colentibus iam nulla rixa eſt; hoſtes publicæ quietis, non religionis inſector; vos v-

trîſque

trisque inimici, ab vtrisque timemini malignas vestras mentes expertis. Laodicenum Concilium, & S. Hieronymum aduersus me constituis neutrius intelligens. Laodicenum Concilium Prouinciale fuit, Nicenum Generale, quod tamen plures libros enumerat. Hieronymus tametsi iudicârit quosdam non esse Canonicos, vbi tamen comperit Iudithæ volumen ab Niceno Concil. sacro Syllabo adscriptum, etiam calculum suum adiecit. Audi illum in præfatione: Hunc librum Synodus Nicena in " numerum sanctarum Scripturarum legitur computâsse. " En quantum distet Caluinista à Hieronymo! qui iudicio Ecclesiæ publico iudicium suum postponit, Caluinista ante ponit. Cęterùm neque ego per sæculum, neque tu Theologiæ operam dedimus, atque idcirco sapientiores de his silebimus, ne crepidam excedamus.

ANIMADVERSIO V. Scripseram Caluinistas esse similiores in Religione Turcis, quàm primis Christianis. Respődet Animadu. *Et mittit me ad librum in Anglia de Turcico Papismo editum.* CASTIGATIO. Mittor à Fabro ad Carbonarium, vtrobique nigror est; lege tu potiùs Caluinoturcismum & perspicies, quàm parùm tua religio ab illa Muselmannica diuertat.

ANIMADVERSIO VI. Enumeraui caussam proscriptionis Palatinianæ inter cæteras hanc, quòd Bohemiâ pulsus nouas opes, noua auxilia conquisiuisset bellum reparaturus, & Palatinum aduersâ fortunâ ferocio-

rem factum. ℞ & quęrit, Animaduerſor, *quomodo hoc fieri potuerit, cùm inter prælium Pragenſe, quod in 28. Octob. vt ille loquitur, Anni 1620. St. vet. incidit, & inter ſententiam banni 2. Ianuarij, Anno 21. Viennæ publicatam vix duo menſes interceſſerint, nec cuiquam mortalium conſtare potuerit, illum de continuatione belli potius, quam de pacis ineunda ratione cogitaturum?* Cast. Primam & potiſſimam proſcriptionis cauſam omittit Animaduerſor, vt audentiùs loqui poſſit. Ita ſcripſeram: Fredericus proſcriptus eſt, nō quia Catholici voluêre, ſed quia ipſe voluit mereri, vt proſcriberetur. Cæſaris regna & prouincias inuaſit, hoſtem ſe hoſtibus Domini ſui iunxit. Hęc princeps cauſa eſt; cæterę adauxere facinus Palatinianum; nā ſicut tu Animaduerſor à me quęris, *vnde ſciam intra tantillum tempus hoſtilia adhuc meditatum Fredericum?* ita ego te interrogo, vnde tu ſcias eum à Cæſare pacem poſtulaſſe? Qui hoſtis fuit, niſi ſe aliter affectum oſtendat, hoſtis ſemper cenſetur. Palatinus è Bohemiæ regno profugit, nō vt Bohemiam Cæſari cederet, ſed vt firmatis, quas pugnâ afflixerat opibus, infeſtior rediret. Eam ob cauſam Manſfeldium Pilſnæ reliquit, alibi alios vt bello ſedes eſſet poſt aliquod tempus reparando; certè neq; ad alios, neq; ad Batauos profectus eſt, vt preces eorum ad Cæſarem pro venia mittendas ſollicitaret. Auito patrimonio Palatinus à

Baua-

Bauaro exutus non est, sed patrimonium ipse Palatinus Arma Iouis fugiens deseruit. Quę postmodum ab Electore Bauaro gesta sunt, Cæsaris imperio gesta sunt: ita fieri amat, qui imperium per scelus quærunt, durum patiuntur.

ANIMADVERSIO VII. Scripseram. Non multa fidei capita eligere Caluinistas, sed omnia abijcere. ℞. Animaduersor. *Apparet Fabium melius in versificãdo, quàm in Reformatorum libris versatum esse.* CAST. In tuorum libris versatus esse non cupio; nemo venena innoxius tractat; cupio apud vos docentes dediscere: Doctoratum non affecto. Vobis autem parum in religiosa pera remanere nemo est, qui nescit. Vix Baptismus superat, Cœna Domini popinariæ similis est; Conciones nequaquam ex scriptura, sed ex malè sanis Prædicantium cerebris profluunt: neq; nego inter vos esse maiorem concordiam, quàm inter alias sectas, quia vbi parum reliquũ est, non potest suscipi magna contentio.

ANIMADVERSIO VIII. Fabius reprehendit interceptores litterarum, & rem totam imputat Caluinistis. ℞. Animaduersor *Non probare Fabium, milites in Veredarium incidentes Caluinistas fuisse.* CASTIGATIO. Milites illi epistolarum raptores militârunt Caluinistis, qui si religione Caluinistæ non fuerunt, opere fuerunt, & ex mandato Caluinistico Veredarios spoliârunt.

Quęsieram à Caluinistis, cùm Cęsaris hostes ad eum diem

diem esse noluissent, ne se infami perduellionis nomine pollucrent, ecqua de causa Cæsaris litteras incidissent, & sacrosancta signa violâssent cum manifesto læsæ Maiestatis crimine? Respondet hoc loco Animaduersor. *Fasciculum apertum, & Cæsaris litteras promiscuè vna cum reliquis per homines suspectissimos scriptis, ab hominibus militaribus in castris perlectas fuisse nemini adeò mirum videri potest.*

Bellè, mi scriptor, homines militares mecum committis, qui pugnos thoracibus tecti molliùs excipiant. Fortasse ijdem milites prælum librariũ etiam Heidelbergâ in castra auexêre, vt in campis Epistolas typis subijcerent, ne facinore contaminarent se Consiliarij, si ipsi hanc operam Cæsari impenderent: multa militari licentiæ permittuntur, & silent non leges solùm, sed etiam honestas vitæ, virtúsq; inter arma Caluinistica. Dein *in bello hoc,* ait Animaduersor, *& causa Bohemica, vti verè priuata, Cæsarem non Cæsaris, sed Archiducis personam repræsentare, & proinde Archiducis iure censeri debere, multis in locis demonstratum fuit.*

Nihil responsum est; mi Scriptor, quia Regna, quæ Cæsar possidet, quocunq; nomine seu electione, seu hereditate, seu Vxoriâ dote, seu emptione, seu belli iure ea possideat, Cęsaris sunt, & sacrosancta esse debent: Omnis iniuria personæ infertur, non metaphysico gradui. Quid enim

enim diceres, si superessem ex incolis Sponheimensis Toparchię (vnde sibi tuus Palatinus titulum Comitis arrogat) & ob adempta bona colaphum Principi infligerem? Ad quem, oro te, illa iniuria pertineret, an ad violentum Comitem, an ad Electorem Principem? Quid si te cęderem, & in ius vocatus, interrogatúsq; cur tantum Palatini Consiliarium percussissem? responderem non considerauiillum cum tanto titulo, sed intuitus sum eum veluti Nepotem Semipraedicantis; facinus immane non erit eiusmodi hominem contundere. Hîc ego expectarem quam sententiam ferres? mulcta certè duorum florenorum non indiceretur; iniuria magni Consiliarij vindicaretur. In Cęsarem peccâstis Caluinistæ, cùm Aquilam rupistis; nam hæc auis Cæsaris est, non Archiducum.

ANIMADVERSIO IX. Scripseram Caluinistis, nec tres vncias de omni Christianismo superesse, ablegatis propè omnibus Sacramentis. ℞ Animad. *Hoc dictum etiam Lutheranos petere.* CASTIGAT. Iam constat, nobis in religione cum Lutheranis non conuenire; ciuili tamen pace, & germanâ animorum amicitiâ tot annis per quietem firmatâ conuenire, nemo non videt, nisi qui vtrisq; inuident Caluinistæ.

Subnectit Animaduersor. *Porrò in Reformatis Ecclesiis, aut in earundem Confeßionibus doceri Impios cælum (sunt verba Fabij) intraturos; hoc constãtißime negatur, & probatio Fabio incumbit.* Respon-

deo hæc esse verba mentientis Caluinistæ, non Fabij: nam postquam hic ostendit vos omnia propè, quæ religionis sunt, reiecisse, & nihil pij aut sacri superare, periodum his finit. *Impij de vobis cœlum intrabunt, aut nulli.* Nusquam Fabius scripsit *vos hoc aut in Ecclesijs, aut vestris Confessionibus docere*; sed ita apud vos res fluere, vt non templis solùm, sed etiam hominibus profanatis, vel Impij tantùm de vobis astra petant, vel nulli: atq; hoc Fabius credit; prius neq; ipse credit, neq; vos credere credit, alioqui vos stultos crederet.

ANIMADVERSIO X. Scripseram Caluinistas Augustanæ Confessionis priuilegijs non gaudere. ℞ Animaduersor. *Non esse Bauarorum, nec reliquorum Romanensium statuere, & decernere, quinam ex Protestantibus Augustanæ Confessioni addicti, quiue ab ea dissentire dicendi sint.* CASTIGATIO. Imperij Ordinum id iudicium est, & iam sentẽtiam suam dixere Anno 1566. in Comitijs, quibus iam perieratis, nisi miseratio Lutherana *infirmis fratribus* propter emendationis spẽ Cæsarem, aliósque Proceres placâsset. Atq; hæc Imperij sententia Naumburgi in Sacramentarios iterata Caluinistas desperare iussit. Itaque viri Heidelbergenses permissi estis viuere in Imperio precibus alienis, non iure vllo; quidquid mussitet tuus Æmilius Chreggene in sua Velitatione. Sed quid audes pronuntiare, *non esse Romanen-*

nensium, seu Catholicorum *decernere, qui Augustanæ Confessionis consortes sint?* Tam Catholicorũ est, quàm Lutheranorum, nam hi soli pepigere religionis fœdus, Sacramentarijs nullus in his cõuentis locus, etiamsi iterum plores, quòd tibi ianuam obijciam.

ANIMADVERSIO XI. Scripseram me nullum Caluinistam vidisse flexo poplite Numen venerari. ℞ Animaduersor. *Parciùs ista Fabius Caluinistis obijcienda meminisse debebat, quia nec Lutherani poplite flexo in templis precari vulgò solent, nec tamen stantium preces Deo ingratas esse, vel ex Publicani exemplo Lucæ 18. discere poterat Fabius noster, melius, vti cõiectare licet, in Ausonio fortaßis, & in Martiale, quam in nouo testamento versatus.* CAST. Et stantem inter preces, & genibus incumbentẽ laudo, imò etiam sedentem, aut si aliter non possit, iacentem. Animus potissimùm precatur, qui apud Deum optimum situm habet, cùm ipse optimus est, & pietate ardens. Cæterùm haud dubiè cùm vni Deo vera adoratio debeatur, rectiùs colitur cœleste Numen prostrato corpore, quàm stante. Signum id iustæ demissionis est, & reuerentiæ summæ, quã Domino Vniuersorum debemus; nisi fortasse Caluinistæ nihil debeant, certè ita viuunt. Ausonium, & Martialem legi, sed & nouum testamentum quoq;, ac complures inueni flexos, quàm erectos preces fudisse. Et inter alios

Principem omnium Christum Dominum, qui in genua, & faciem fusus patri preces obtulit nimis horrendę mortis supplicium deprecatus, quod Iudęi erant illaturi, Caluinistæ per prophanam religionem repetituri.

ANIMADVERSIO. XII. Scripseram. In Missa Christum à nobis adorari, quem specie panis latentem credimus, quòd id Christus credere iusserit. ℞. Animad. *Reformatos credere panem esse Corpus Christi.* CASTIG. Nihil aliud hîc super vestra cœna dicere possum, quàm *Benedicite.* Vbi dixit Christus, *panis & corpus meum?* Tace impie, panis pistoris opus non est Christi Corpus; sed non pergo in hac palæstra, ne fœdiùs labaris; disce Codicis arcana, ad Theologiam hebet intellectus tuus.

ANIMADVERSIO XIII. Dixeram Munzerum Ducem, Caluinisticum tubicinem Rusticorum fuisse. ℞. Animad. *Tempore Munzeri nomen Caluini in Germania inauditum fuisse.* CAST. Non nego Munzeri tempore inauditum fuisse Caluini nomẽ; Felices essemus, si nondum audiretur. Munzerus tamen dogmate Caluinianus erat; belli funesti tam idoneus auctor, atq; si à Caluinistis didicisset, aut certè ipsos docuisset.

ANIMADVERSIO XIV. Scripseram, Proceres Caluinianos à Camerario, Plessio, & similibus furenti spiritu inflatos infaustum Martem ex Orco euocâsse. ℞. Animad. & quærit: *Qui sint illi Proceres Caluiniani?* CAST. Notiores sunt Animaduersori, quàm mihi; certum est Caluinistas

nistas inchoâsse bellum, & quia vulgus ad consilia non admittitur, certum est Proceres in Bohemia auctores fuisse, tibicinibus Camerario, Plessio, & similibus, quod tametsi in actibus publicis non inuenirem; facta publica me docerent, omnia consilio geruntur, & Consultores sunt Camerarius, ac Plessius, etiam vbi Consiliarij nomen non habent.

Vide instructionem D. Donæ scriptam à Camerario.

ANIMADV. XV. Scripseram translationem Electoratus in Bauariæ Ducem Germaniæ profuturã esse. ℞ Animad. *Electores Saxoniæ, & Brandenburgi in alia esse sententia.* CAST. Respondeo me meæ adhuc opinioni inhærere, & Electorem Saxonem mutatâ sentẽtiâ calculum quoq; suum adiecisse meliori, quando Bauarum Collegij Electoralis socium professus, vnicum Brandeburgicum aliter sentientem deseruit.

ANIMADVERSIO XVI. Scripseram nos cum Lutheranis in Imperio certâ, fidâq; pace viuere. ℞ Animad. *Plurimos ex illis dubitare non sine causa.* CAST. Non video dubitandi causam, quia toto hoc temporis spacio quo Passauij pax inita, nec seditionem, nec bellum vllum mouimus aduersus Lutheranos; & aduerto tibi admodũ dolere pacatum viuendi genus nostrum; cuperes nos peiores, vt iustiùs reprehenderes. Pacta religionis hactenus inuiolata armis mansêre, quis ambigat de futuro? ijdem sumus: Si Catholici docent pacta cum hæreticis non esse seruanda, intelligunt illicita pacta; sed pactum religionis

inter illicita nunquam numerauimus. Quia verò sacrosancta omnia volumus, de quibus honestè conuenimus, Episcopatus & alias Ecclesias ex pacto nobis attributas meritò cordi habemus, neq; vllus iuris, & iustitiæ amans nos coget, vt spontè æquissimę causę cedamus. Quis prohibuerit nos fas & ęquum inuocare, & ad Imperij tribunal ambulare, vt nostra quæ pacis religiosę Constitutio nobis reseruauit & concessit, recuperemus? Armatam litem nũquam egimus, neq; agemus, quia Caluinistæ non sumus; placet amica disceptatio, in qua si probauerimus aliorum non esse, quę nostra sunt, obtenta causa erit. Frustra igitur postulas, vt nostra proijciamus, & concedamus Caluinistis. Non est animus nostra donare; vos Caluinistæ multa nobis alioqui vi aufertis. Quod P. Adamus Conzen lib. 9. Politicorum cap. 42. scribit, & suadet Tridentinũ Concilium suscipiendum, vt pax Germanię reddatur, non arbitror improbum adeò consilium esse: primò enim id ipsimet Protestantes censuerunt, atq; idcirco ab anno 20. sęculi prioris, vsque ad trigesimum Augustanæ Confessionis natalem, Concilium Generale ad hunc finem in omnibus Comitijs postulârunt. *Ad cuius*, inquiunt in præfatione suę Confessionis, *Generalis Concilÿ conuẽtum simul & ad V.C.M. in hac causa longè maxima, & grauissima iam antè etiam debito modo, & in forma iuris prouocauimus. Cui appellationi ad V.C.M. & Concil. adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel*

alium

alium tractatum deferere intendimus, aut possumus. De quo hic solemniter, & publicè protestamur. Hæc Confeßionistæ nō malè de pace stabili ominantes, si arbitriū Concilij inter ambigētes de religione interueniret. Interuenit autem Tridenti, & quid suę sententię in omnibus controuersis capitibus esset, aperuit, atq; etiam summâ in terris potestate sanxit; pareatur ergò ei, & inter idem sentientes pax facilè conciliabitur. Dices, Concilium postulatum fuisse Liberum; rectè: liberum fuit. Venerê Protestantes, abiêre nullo morante. Auditi fortasse non fuere? locuti non sunt, etiam inuitati. Aßidere etiam debebant & iudicare? non est reorum pro tribunali considere, neq; vnquam Ecclesiæ moris fuit, vt accusati, aut suspecti de hæresi, quíq; legitimâ auctoritate carerent, subsellia Iudicum occuparent.

ANIMADVERSIO XVII. Scripseram Confeßionistas nobis morte dignos nō esse. ℞. Animad. ***Lutherani nominatim quot annis per Bullam de Cœna Domini à Papa excommunicãtur, cuius excommunicationis hic effectus, vt absq; vlteriore cognitione in damnatos cuique animaduertere liceat.*** CAST. Respondeo, mi Animaduersor, te inprimis imperitè Bullam Pontificiam *de Cœna Domini* indigetare; non est illa Bulla *de Cœna Domini*, sed *Cœna Domini* dicitur, quòd eo die, quo memoriam vltimę Cœnæ colimus, promulgetur. Deinde aio te grandius mendacium euomere, quàm si

ipsam

ipſam Romam euomeres; falſiſſimum enim eſt licere cuique in excommunicatum animaduertere: vix audeo monere te, vt mendacijs abſtineas, quia elinguem te facerem, & mutum. Quæ priuati priuatim ſcripſere, aut publicè, aut priuatim excuſent; nos horum patronos non agemus.

ANIMADVERSIO XVIII. Scripſeram Palatinum libertati Germanicę compedes minitatum eſſe. ℞ Animad. *Hoc idem eſſe, ac ſi dicerem ouibus imminere periculum à canibus, & à paſtoribus, qui pro earum ſalute contra Lupos excubant, & propugnant.* CAST. Progreſſus identidem facio, & diſco hîc 1. Palatinum eſſe *canem, & paſtorem.* 2. Germaniæ Principes Proteſtantes eſſe *oues.* 3. Catholicos eſſe *Lupos.* Et de *canis* quidem nomine tecum non contendam; miror tamen tam honeſto Principem tuum abs te titulo compellari, fortaſſe quòd multos innocentes mordicùs inceſſerit, & lacerârit. *Paſtor* quomodo ſit aliorum, non intelligo; quâ enim poteſtate hoc ſibi Paſtoricium munus arrogat? Nemo extra Palatinatum *ouem* ſe eius profitetur; nemo proſcriptũ & profugum *Paſtorem* deſiderat: neq; nos *Lupi* ſumus; quia prædam nullam rapuimus, ſed raptam fugiẽti *Lupo* excuſſimus. Si *Lupi* eſſemus, fugato *Paſtore* iam pro lubidine ouium greges inuaderemus, tonderemus, voraremus; nos inuaſi, nos tonſi, & propè etiam vorati ſumus.

Rictum

Rictum patentem arma impleuere duræ & diuturnæ digestionis, vt spes sit haud deinceps futurum, vt stimulante rursus fame prædam de alienis agatis.

CIRCA CONSIDERATIONEM SECVNDAM.

ANIMADVERSIO VNICA. Scripseram nescire me, quid controuersiæ Ferdinando Cęsari Caroli Imperatoris successori, Pontifex mouerit. ℞. Animad. *Mirum est fateri Fabium, hominem, vt videtur, multæ lectionis, hoc ignorare se.* CAST. Fabius Scriptores, quos nominas, legit, neq; tamen omnia quæ legit, se scire profitetur; quia quædam non credere, quoddam nescire est: imò nonnulla ignorare nos subinde dicimus, quod nec temporis sit nec loci, eorum meminisse. Concertationes Cæsarum ac Pontificum, temeritatem vestram nec aggrauãt, nec minuunt. Quid ergò illę ventilentur, vt de ista sileatur? quoddam defensionis genus est Caluinistis sæpè vsurpatum, Lectorem abducere, & aliena oculis obijcere, ne propria videantur.

CIRCA CONSIDERATIONEM TERTIAM.

ANIMADVERSIO I. Scripseram Palatinum Pragam profectum Regium solium inuasisse. ℞. Animad. *Publicè*

constare Palatinum post solennem electionem, quam Bohemis competere communis fere totius Europæ opinio erat, ab Ordinibus in vacuam regni possessionẽ introductum fuisse. CAST. Tria affirmat hic Animaduersor 1. est, *constare post solemnem electionem in Bohemiam Palatinum introductum.* Nouimus hoc nimiũ; imò & sentimus. Alterum est, introductum Palatinum fuisse *in vacuam regni possessionem.* Falsum hoc est nimiùm; nam possessio non fuit vacua, quia Rex prior viuebat adhuc, & qui euacuare solium conabantur, in vacuũ, vt sic dicam, nitebantur. Abdicatio nulla fuit, electio nulla, introductio nulla, nisi scenica. Tertium, *communem fere totius Europæ opinionem fuisse Bohemis Electionem competere*; Discernamus sermonem tuum implicatum; potuit fortasse fieri, vt multi putauerint Bohemicam Coronam in quemcunq; electione conferri posse, hæreditate non venire, tametsi aliud Cæsarum diplomata, & mos non interruptus doceant; nemo tamen opinari, si sanæ mentis fuit, potuit, Bohemis eligendi ius esse alio iam electo, imò & coronato. Quis hanc electionem probauit? *tota ferè Europa*: Romæ par suprà mẽdacium protulisti; nunc magnitudinem Europæ insanâ linguâ eructas. Numeremus Europæ regna & prouincias: Hispania Electionem hãc damnauit; Maior Italiæ pars auersata est, Rex Galliæ nullam iudicauit, Rex magnæ Britanniæ non

suasit,

ſuaſit, Rex Daniæ periculoſam putauit, Rex Poloniæ improbauit, Suecus in publicum diſſimulauit. Moſcus fortaſſe eam ignorauit. Quid Europæ ſupereſt præter Germaniam & Caluinianam Daciam? In Germania Catholici Electionem hanc deteſtati ſunt, Saxo Septemuir execratus eſt. Soli Caluiniſtæ, & pauci Proteſtantium à Caluiniſtis decepti, eam pro legitima habuere, aut ſi alij ſunt, huius Electionis patroni ac vindices, nomina.

ANIMADVERSIO II. Adſcripſeram alicubi culpam motuum Bohemiæ, Morauiæ, Sileſiæ, Luſatię, Caluiniſtis. ℞. Animaduerſor. *Rerum ſummam, & arbitrium his in regnis non à paucis Reformatis, ſed à multitudine Lutheranorum dependere.* CAST. Reſpondeo 1. veritatem ab Animaduerſore non dependere, quia pręcipui Bohemorum Caluiniſtę ſunt & Picarditæ. Reſpondeo 2. Caluiniſtarum quoſdam aperto eſſe, quoſdam Lutheri nomine tectos, quòd inuiſa ſit Caluiniſtarum in Imperio religio, propter crebras belli turbas, quarum fœcundiſſima genitrix eſt.

ANIMADVERSIO III. Egeram de interpretatione Cæſarearum litterarum ad Zunigam, oſtenderámq; ex nullo pacto Palatinatum Bauaro fuiſſe promiſſum, antequam Fredericus Bohemiam occuparet. ℞. hîc Animaduerſor. *Quidquid Fabius dicat, huc ſaltem res redit, ante prælium Pragenſe, & ita ante publicatam Banni ſententiam Electoratum Bauaro promiſſum & do-*

 natum

natum fuisse, & quidem vltro ac sponte, id est, *Electoribus inconsultis*. CAST. Rectè habet, mi Animaduersor, quòd sermonem tuum non obstinatè propugnes, sed tacitè fatearis te conuenta Cęsarem inter Monachij commorantem, & Bauariæ Ducem commentum fuisse; promissionem Cæsaris adhuc refricas, quæ si contigit multis hypothesibus fulciebatur; nam pollicitatio illa pendebat à multis euentibus. Si proscripsero Palatinum, si occupauero ipsius prouincias, donabo, poterat Cęsar dicere: Et tu iterum geminum sensum inuoluis. Demus *Electoribus inconsultis* (excipio casum in atroci crimine læsæ Maiestatis, quando ipse proscribendus in crimine perdurat, atque ita armis & violentiâ iuris ordinem confundit, vt nec ab aduersa parte ordo & iuris solennitas seruari possit) neminem Electorum proscribi posse, non tamen damus, Cęsarem Prouincias, quæ ipsi caducæ sunt, nemini promittere, aut donare posse.

ANIMADVERSIO IV. Scripseram cum professis Confessionis Augustanę nullam nobis esse inimicitiam, nullas rixas. ℞ Animad. *grauissimas esse, & liquere ex Catalogo grauaminum*. CAST. Etsi vtrinq; nobis non idem animus in omnibus sit, eò quòd Lutherani antesignanis Caluinistis quędam velint, quę nos nolumus, quia & ipsi quędam nolunt, quæ nos volumus, hostes tamen non sumus, vt ferro disceptare sedeat. Intereà tamen nemo vetabit nos, nostra iure aut defendere, aut quærere.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO V. Scripseram Religio Protestantibus in tuto erit, si nos ab ijs fuerimus. ℞ Animaduersor. *Sed an bona Ecclesiastica illis in tuto futura sint, per mentalem Jesuiticam reseruationem, vt ipsi loquuntur, astutè omittit.* CAST. Si pacem religionis cum Lutheranis seruamus, officium iam præstitimus sacramento promissum; Sed ipsis quoq;, si probi viri haberi volunt, conuentis standum est. Episcopatus & Ecclesiæ ante Passauiensem pactionem occupatę, illorum vsibus cessere; quæ supererant, nostri iuris mansere, ita stipulantibus ipsis Lutheranis. Hæc vt vobis donemus, rogare potestis; vi auferre non potestis sine ingenti iniuria, quia nostra sunt etiam vestrâ confessione, & concessione. Et quæso quis aduersus nos stomachetur, si quę nostra sunt, iure vindicemus? iure dico, nam armis non vtimur, nisi in vtentes, quod Caluinistæ experti sunt, & tamen nec dum sapiunt.

ANIMADVERSIO VI. Scripseram ius per Prouincias Imperij non esse idem Caluinistis, quod est Catholicis, ac Lutheranis. ℞ Animaduersor. *Fabium, & reliquos Ligistas incompetentes Iudices hac in parte esse.* CAST. Quis erit tandem competens Iudex? Lutherani æquè dicunt vos precariò in Imperio viuere, atque Catholici.

ANIMADVERSIO VII. Scripseram ea quæ Cęsar fecit in proscriptione Palatini, Cęsareâ potestate fecisse,

summóq; iure. ℞ Animad. *Sanè summum ius, sæpe summa iniuria est, secundum illud vetus.* CAST. Arbitrabar Caluinistas esse intelligentiores Lectores; per *summũ ius* non intelligi seuerissimũ, sed ius summi Magistratus, quod est Cæsareum, tuo iudicio minimè tantum, vt Electorem possit suo loco deijcere; potest, & potuit in tam immani, & pernitioso, atque etiam præcipitato Reipubl. casu. Cur Iudex moretur, quando reus pergit, & perdit orbem?

ANIMADVERSIO VIII. Scripseram Palatinum regno Bohemiæ inhiâsse, antequam antecessor moreretur. ℞ Animad. *Verius de Bauaris dici potest illos iam inde ab aliquot centenis annis Palatinatui inhiare.* CAST. Palatinatui ab aliquot sæculis inhiasse Bauaros Caluinistica veritas est, imò Palatinatum Rudolpho fratri iure belli ereptum, filijs eius singulari humanitate restituit Bauarus Imperator Ludouicus; Ius duntaxat Electorale, quo per Caroli IV. hostilitatem, & perfidiam liberorum Rudolphi spoliati sunt, obliuioni tradere noluere. Côuenerant olim posteri Ludouici Rudolphiq;, vt Septemuiratus munus per alternas vices administrarent, ídq; firmârũt litteris adhuc hodie superstitibus apud Gevvoldum *in libello de Septemuiratu.* Verùm non homines solùm, sed & ipsa tempora Bauaris fuere iniqua. Ludouicũ, eiúsque filios reddiderat inuisos Ponitficia per Europam

pro-

proſcriptio. Electores metu eiuſdem Eccleſiaſtici gladij amici eſſe non audebant, Cæſar Carolus diu antè ęmulus, iam adhuc hoſtis, atque etiam affinitate iunctus Heidelbergenſem Principem vnum, ſolumq; in omne deinceps tempus Electorali dignitate ornauit, non ſine inſigni Bauaricę domus iniuria, & dedecore Palatinorum, quibus immanis arrogantia potior fuit, quàm data & ſignata fides. Atq; hinc eſt, quòd Bauari, cùm præter meritum ſe tã graui ſententiâ mulctatos opinentur in ingreſſu regiminis, inueſtituram quoq; Electoralis dignitatis petant. Neque ego idcirco hoc loco auream Bullam veluti noxiam reprehendi, quia haud dubiè ſalubriter ſtatutum eſt, vt ad cauendas Imperio periculoſas ambitionis contentiones, quæ in numeroſis familijs & iam euenerant, & deinceps euenire poterunt, certus aliquis Princeps nominaretur, penes quem immutata ſemper poteſtas reſideret; ſed hæc duntaxat querela eſt, cur contra pacta & promiſſa, nulla Domus Bauaricæ ratio ſit habita; eius, inquam, Domus, quæ ſola clementiâ ſuâ veſtram domum iam armis proſtratam ſplendori priſtino reſtituit, non vtique eâ lege, vt vos illam deprimeretis. Certè ſicut iam inde à principio Bauari cauſas habuêre ſuper iniuria proteſtandi, ita eaſdẽ adhuc hodie habent, tametſi inuiolabile eſſe, tanquam obſeruantiores magiſtratuum, patiantur, quod ſuprema Poteſtas ſtatuit, atq; adeò iam tot annis in more receptum eſt, donec eadem ſuprema Poteſtas, quod ſtatutum fuit,

æquiſ-

æquissimo iure rescindat. Itaq; Wilhelmus Bauarus impetrare à Carolo V. potuit Electoratus translationem rebellante Palatino, non minus ac Mauritius Saxo impetrauit, atque etiam obtinuit, abdicato ob rebellionem Frederico.

Cætera, quæ de hodierno Duce, & Electore nostro Maximiliano commemoras, ex malignitate Caluinistica proficiscuntur. Gevvoldus suâ auctoritate, nullo Principis imperio accedente, imò antequam lucem aspiceret, nesciente, librum de S. R. Imperij Septemuiratu vulgauit, in quo inter cætera demonstrat, Electoratum non Palatinatus, sed Gentilicium decus esse domus Bauaricæ; neq; enim Electores fuêre Heidelbergæ Principes, ob Comitû Palatinorum prærogatiuam, sed quia genus duxere à Bauariæ Ducibus, Septemuiratus honoris ab antiquo hæredibus. Hæc cùm sola Gevvoldus disputet, neq; ob auream Bullam Comitibus Palatinis vllam litem intendat, quid est, quòd tu nimis licentiosâ Bacchatione in Electorem Bauarum inueharis his verbis? *His non contentus Dux Maximilianus, qui iam rerum potitur, ante aliquot annos per publica scripta, à Gevvoldo edita, Palatinæ domui de Electoratu contra expressam, & inuiolabilem Aureæ Bullæ sanctionem, controuersiā mouere non dubitauit, hac nimirum spe, facilè in perpetuis hisce Protestantium, & Pontificiorum Statuum Imperij dissidiis euenire posse, vt sibi, à rebus*

omni-

omnibus ad vim faciendam parato, & Pontificij fœderis Duci, aliqua ex insidijs inuadendi, & occupandi Palatinatus occasio offerretur. Vnde conijcere facile est, & quem scopum Maximilianus, socia arma cum Austriacis iungens, habuerit, & quam auidè oblationem Electoratus Palatini, à Cæsare factam arripuerit. Palatinus certè ne verbo, imo ne nutu quidem vnquam Bauarum læserat, sed summo semper honore, & cultu fuerat prosecutus. Consilium nō est hic, ad imitationem Fabij, versiculos allegare de ambitione, & natura mortalium auida (vt Salustius ait) Imperij: tantum Lectorem monere visum est, Bauarum eadem ratione agendi, seu stratagemate potius in Palatino ex Electoratus possessione deijciēdo, quod Catharina Medicea, regina Galliæ, femina astutißima, olim Cosmo Mediceo, de seßionis & dignitatis prærogatiua cum Ferrariæ Duce contendenti, suggeßit, vsum fuisse. Dicebat enim illa, in præsentiarum satis esse, si controuersiam de prærogatiua Cosmus Ferrariensi moueret. Sic enim euenturum, vt ius Ferrariensis in dubium reuocaretur, & ille paulatim de posseßione deijceretur: quod & paulo post accidit, vt scribit Thuanus lib. 44. histor. Plane consimili modo, occasione belli Bohemici Bauarus in Ele-

ctoratum, de cuius iure ante aliquot annos litem mouerat, sese intrusit.

Putidissima, & vanissima omnia ista sunt, Animaduersor; Nulla vnquam Principem nostrum cupido titillauit, aut adipiscendi, aut armis occupandi Palatinatum vestrum, antequam hostes fieretis. Argumento inuicto est, quòd Palatinum tuum in misera fata ruentem, cohibere laborârit tot epistolis, & consilijs: si ambitio, si auaritia pectus Bauaricum occupâsset, currentem aut impulisset, aut cunctantem incitâsset, vt obtineret, ad quod aspirauerat. Ridiculum est, si cupiam fratrem meum ob hæreditatem mortuum, & interim illi procurem sanitatem. Reginæ Galliæ factum noster Princeps nō est æmulatus: Illustriora illum exempla, quę imitari laudis sit, mouerunt. Astutias alieno honori graues non amat, & reipsâ ostendit, quando vos alterius regnum Caluinisticâ arte inuadentes bello repressit, nimiámque ambitionem vltore Martę castigauit.

ANIMADVERSIO IX. Scripseram Tota Germania nisi quâ Caluinistica, Palatinū damnauit. ℞ Animad. *Et iubet me expectare libera comitia, in quibus sim auditurus, metu armorum remoto, alias voces.* CAST. Expectabo, mi Animaduersor, qualscunq; auditurus, modo vestras non audiam.

ANIMADVERSIO X. Identidem Fabius agit de transactione Vlmensi. ℞. Animad. *Bauaros in illam*

non vno modò peccaſſe. 1. enim Cancellariam Anhaltinam in lucem ediderunt contra verba, & mentem tranſactionis. Deinde in tranſactione Vlmenſi cautum etiam erat Palatinatui in ſpecie. CAST. Ridiculum eſt per pactionem Vlmenſem cautum fuiſſe, vt nihil aut de te dicerem, aut ſcriberem; nihil de Cancellaria eo tempore decerni potuit, quia nihil de illa *conſarcinanda*, vt vos loquimini, conſtabat: quanquam neque in illa de vobis quidquam ſcripſimus, ſed vos de vobis. Deinde pacem Vlmę initam nos non rupimus, ſed à veſtris ruptam vindicauimus; Falſum enim eſt Māsfeldium tum demũ ad Bambergenſes Canonicos hoſtiles litteras ſcripſiſſe, quando vidit Tillium ex Bohemia, Bauarum ex Bauaria Palatinatui imminere; diu antè ſcripſerat. Deinde quæ cauſa fuit, vt hi duo exercitus vobis imminerent, Mansfeldius Tillianas copias inuaſerat, occiſo Baurio militari Tribuno: Bauaris intuta itinera fecit, in terram hoſtiliter irrupit, Principem Leichtenbergenſem Bauari, & pacis Vlmenſis fiduciâ nihil hoſtile metuentem, Prouinciâ exuit, atq; etiam manus iniecit captiuum abducens, grauis accola & Bauariæ & Bohemię, in quam reditũ parabat. Bauarus Elector non exiſtimauit tam pernicioſi Vicini iniurias tolerandas, iuit armatus in illum, & cùm propè circumdediſſet, inuenit improba vulpes technam, quâ per mendacium euaderet. Etiam Veerius tuus non ideo pacis violatę in inferiore Palatinatu reus non eſt, quòd tu

eum defendas. Milite pagos illius occupare, cui pacem promisi, hostilitatis opus est. *Dein etiam ipse Episcopus Spirensis consilio & ope Cordubam iuuit.* Quâ ope oro te Animaduersor? ne vnum quidem bellatorem illi submisit. An fortasse commeatum? & quo pacto vetitum erat vêturo & rapturo aliàs militi victum negare? An pecuniâ iuuit Cordubam? Libellum rationum ostende, quot auri tonnas subministrârit. Falsum est, vt vno verbo respondeam, Violatorem pacis fuisse Episcopum Spirensem.

Denique omnia illa, inquis, *quæ à Fabio de Episcopo Spirensi, & Archiepiscopo Moguntino à Mansfeldio, & Veerio vexatis narrantur, tametsi à nobis concederentur, tamen ad excusandam Electoratus Palatini oblati acceptationem parum faciunt, vtpote quæ toto vertente anno postea acciderint, nec à Bauariæ Duce tempore oblationis, & acceptationis prouideri potuerint, ostēdat ergo Fabius, quomodo oblatio Electoratus bona fide accipi, Palatinatus deinde illæsis transactionis verbis hostiliter occupari, & occupatus iuste & honeste retineri & poßideri poßit. Conferte laborem vos Aduocati Monachienses, latebras ingeniorum vestrorum excutite, componite, susurrate, partem hic suat, partē ille farciat: aliquid procudite, aliquid protrudite (licet enim, & fas sit,*

verbis,

verbis, quæ Fabius sub finem Lituræ vsurpat, vti) laterem profectò lauabitis. Haud quaquam opus est, mi Camerari, vt plures tubâ conciam ad labores ingenij conferendos, neq; enim tu tantorum lacertorum es, vt Herculem referas, cui etiam duo nimius numerus est. Mihi vni hic Antæus palma erit. Quid autem cum ratione blateras? aliud est promittere, aliud est offerre, aliud acceptare. Cæsar, cùm iã omnia extrema meruisset tuus Princeps, regni alieni vsurpatione, potuit promittere Bauaro Electoratum ex hypothesi, deiecto scilicet Friderico, omnibúsq; spoliato, atq; armis occupata Palatinatus ditione. Hæc de infenso hoste cogitare potuit Cęsar, hęc postmodum facere. Itaq; fugato demũ Friderico, & possessâ eius per bellum terrâ, honor Septemuiratus Cęsaris imperio, in auitam Bauariæ domum remigrauit, meliore iure, quàm fide à Principibus vestris olim ruptâ, violenter excesserat; eius oblatio, & acceptatio in annum 1623. incidit, ita vt à Mansfeldij, & Veerij violatione pacis intercurrerint duo propemodum anni, & tu temerè dicas oblationem & acceptationem contigisse ante fractum à Mansfeldio, & Veerio fœdus, & quidem *toto anno vertente*, vt loqueris ineptissimè. Quis enim totus annus vertens est?

Venio ergo, quia me inuitâsti & ostendo, à Bauaro bonâ fide potuisse possideri, retineri. Cæsar, cui hæc ab summo Magistratu, quem gerit potestas, Palatino tan-

quam rebelli, & proscripto dignitatem Septemuiralem ademit, suíque iuris fecit, factam Bauaro optimè merito Principi cõtulit; Legitimè collatam Bauarus accepit, possidet, retinet. Prouinciam superiorem, magnámq; partem inferioris, iustis armis Cæsaris iussu & nomine occupauit, occupabítq;, donec vel reddi mandet, vel vos, vel alij auro, armísue recuperetis. Ludouicianum illum astum in Gallia quondam machinatum omitte; non est nostri Principis pro fide verba dare. Vlmensia promissa stabant apud nos sacrosancta, vos temerâstis primi, & recordaris adhuc idẽ vobis obiecisse Trumbultium, Regis Angliæ Bruxellis Residentem. Non cares memoriâ, sed nos carere velles.

Vide litteras Trumbultij.

CIRCA CONSIDERATIONEM QVARTAM.

ANIMADVERSIO. I. Explicaueram litteras signo militari primario inscriptas, nempe E. T. S. I. hunc in modum. EST TEMPVS SVMENDI IMPERII. ℞. Animaduersor. *Quomodo autem Fabio constare potest litteras illas, Latinam potiùs, quàm Gallicam, aut Germanicam, aut Belgicam, aut Bohemicam, aut Vngaricam significationem habere? Ex his enim nationibus exercitus erat compositus. Quamuis etiam constaret latinè illas literas interpretandas, tamen longè alium sensum, quam qui à Fabio excogitatur, ex illis pro libitu*

bitu elici posse nemo non intelligit. CAST. Macte hoc acumine, mi Animaduersor; scio varia posse elici ex his litteris; sed quæritur, quis rectiùs diuinet, & magis ad mentem eorum, qui tum re ipsâ laborârunt, vt Imperator nullus esset, quo facto facilis successio fuisset, & haud dubiè tempus fuisset sumendi à Caluinistis, quod Imperatore perdito amissum fuisset. Audete & explicate ipsi has notas: si alia significatio fuisset, iam ego eam depictam, sculptam, & typis formatam viderem, vt vanus viderer. Confutate me, & edocete veram.

ANIMADVERSIO II. Scripseram nobis Catholicis adhuc Aurea Bulla sacrosancta fuit, eritq; etiam deinceps. ℞. Animaduersor. *Fabium sibi ipsi contradicere, nam alicubi docuit Carolum IV. contra ius & fas spoliasse Domum Bauaricam Electoratus dignitate.* CAST. Mi Animaduersor contradictionem nullam animaduerto, instrue me. Carolus IV. à Palatinis Heidelbergensibus inductus 1. Septemuiratu priuauit Bauaros, deinde tulit in Comitijs legem, vt perennis hic honos solius Palatini Heidelbergensis esset. In primo dixi Bauaros immeritò læsos; in altero rectissimè dixi, legem etiam in iusto dolore fuisse nobis inuiolatã. Vbi est, quæso, tibi laudata *contradictio?* circa vnum, idemq; reciprocatur illa, non circa diuersa. Princeps tuus belli fortè causâ vetat frumentum euehi; tibi ægrè ferenti, & ex frumento exportato speranti magnam vim auri, lex hæc incommoda est,

atque

atq; etiam indignationem parit, interim tamen toleras legem, neq; frumentum effers. Quòd si palàm dicas te legem ſeruare, etiam tibi contradicis, ſi non fallit Dialectica tua; certè te non fallit, quia nihil te docuit. Dicis: *nos Electoratum Comitibus Palatinis ad Rhenum in perpetuum adiudicatum, & attributum non obſtantibus fortiſſimis clauſulis Aureæ Bullæ, à Comitatu Palatino ad Rhenum diuulſum, Duci Bauariæ Ratisbonæ adiudicaſſe.* Reſpondeo 1. nullo modo ab Aurea Bulla Cæſari manus inhiberi, cùm contra perduellem Principem agit. Deinde ſicut ſtatui potuit, ad bonum Imperij pertinere videri, ſi ſolus Palatinus ad Rhenum inter Septemuiros ſederet, ita iam variato rerũ, motúmq; curſu ſtatui poteſt, vt hic honos, vnde olim profectus, in Bauariam remigret. Demum nondum video Electoratum ab Heidelberga diuulſum, quis enim iam occupat Heidelbergam? an Palatinus? Cùm igitur Heidelbergam non poſſideas, cui annexum Electoratum Carolus IV. voluit, quid Electoratum contra Bullam repoſcis? Porrò *neq, temeritatem, neque faſtum,* quem in Vicariatus tui ſceptro ſpernendo oſtenderimus, ex Aurea Bulla comprobabis: vbi enim in illa Vicario Heidelbergenſi Bauariam quoq; ſubiectam oſtendes? Non ſubmittimus nos faſcibus quos Cæſar in nos præferri non iuſſit, neq; nos ipſos eximimus iugo, quod nunquam ſubiuimus.

Impe-

Imperium Caluine tuum tibi solus habeto,
Cæsare defuncto munus obibo meum.

CIRCA CONSIDERATIONEM QVINTAM.

Non habet Animaduersor, quod quiritetur, nisi de explicatione Verborum Italicorum, quę aliter ego explico, ille aliter, neuter fortasse malè, quia hic peiùs.

CIRCA CONSIDERATIONEM SEXTAM.

Animadversio I. Scripseram simile exemplum esse in proscriptione Ducis Saxonum Ioannis Frederici. ℞. Animad. *Dissimile 1. Quòd Carolus V. nihil actionis, aut iuris priuati contra Saxonem allegauit; Palatini autem proscriptionem pro principali fundamento habere causam priuatam, nempe Bohemicam, & solùm ad domum Austriacam pertinentem.* Cast. Nimia subtilitas officit huic Animaduersori, & eum de statu mentis deijcit. Quid nominas *ius priuatū?* An proprium? tum quæro, an non *priuatum ius* in Imperium habeat, qui publico iure Imperator salutatus est? An non Carolus V. vt Carolus delatum sibi à Septemuiris Imperium contra aduersa arma defendere potuit? Meū est Imperium, iure Carolus potuit dicere, & qui mihi id

eripere conatur, hunc ego, non vt Rex Hiſpaniæ, aut Archidux Auſtriæ, ſed vt Cęſar proſcribo. Si verò *priuatum ius* id vocas, quod diſcriminatur à publico; non proſcripſit Cæſar Ferdinandus Principem tuũ ob *ius priuatũ*, ſed ob publicum violatum; nam qui Cæſaris Prouincias inuadit, quocunq; nomine obuenientes, Cæſarem inuadit, & ſpolia ibi legit, quò deferre oportebat. Quare ad Imperatorem Ferdinandum pertinebat Bohemiam à Palatino per impia arma occupatam, vindicijs recuperare, & refractarium Principem proſcribere. Imperium Cæſari auferas, aut alias Prouincias, Cæſarem ſpolias, à Cæſare puniendus. *Deinde Saxo*, ais, *& Landtgrauius obedientiam Carolo V. publicè renunciarant; & bellum ſimul indixerant, quorum neutrum à Palatino factum.* Reſpondeo. Neſciſſe me Palatinum tam promptam obedientiam Cæſari pręſtitiſſe. Mi homo nullâ ſubtilitate elabi potes; ſeu verbis, ſeu rebus te rebellem oſtendas, parum intereſt. Monitus à Cæſare tuus Palatinus, vt regno per nefas quæſito excederet; illud primò retinere, dein amiſſum repetere non deſtitit, neq; hodie deſiſtit. Eſtne hæc obedientia, quam Cæſari exhibet, an renunciat? At *Saxo bellum Carolo indixerat?* Quid verò indixit Palatinus? pacémne? bello id regnum ademit, plura empturus, ſi Cæſar iniuriæ patientior eſſe voluiſſet, & ruentem Caluiniſtarum armis Germaniam contra muneris ſui dignitatem ocioſus ſpectare.

ANIM-

Animadversio II. Scripseram, Cæsar Regem Bohemiæ defendere potest,& Rex Cæsarem. ℞. Animad. *Ius regium controuersum fuisse inter Ordines Bohemiæ (qui alium Regem elegerant) & Cæsarem.* Cast. Respondeo 1. Pallium meum si mihi exuas,etiam posse fieri controuersum apud restitutionis intolerātem. Omnia in controuersiam venire possunt, si omnia fureris,& de furtis litem moueas. Quæro secundo loco. An liceat Caluinistas,cùm ius adhuc cōtrouertitur, per vim alteri dare,vt is,qui ex aduerso disceptat, repellatur: controuersum non est quod alteri das, nisi fateri velis, Bohemos alienum dedisse, & vos accepisse, quod verum est, sed tu tum hîc verum non loqueris. Dicis. *Etiamsi ponatur Cæsarem sine controuersia Regem Bohemiæ fuisse, tamen certum est, Regem Bohemiæ in Electores, Collegas suos nullum ius habere, multò verò minùs Bannum Imperij contra illos promulgare posse.* Respondeo 1. Regem Bohemię in hostem suum, siue Collega sit, siue non, habere ius naturæ, & armis armatum prosequi posse. Miror autem te, mi Animaduersor, quòd me doceas, à Rege Bohemię non posse proscribi Imperij Principem; nemo id nescit, atq; idcirco voluisti, & me id scire, ne quod nemo aliorum nescit, nescirem. Tuus Princeps proscriptus est à Cæsare, non à Rege Bohemię, subtili more tuo loquendi, qui identidem Cæsarem in aliquot personas dissecas, vt vni noceas. Cæsar alium Principem indi-

gna patientem & armis, & contumacium hostium proscriptione defendere poterat, cur se non possit? vt taceam, quod suprà dixi, Cæsareę semper personæ iniuriam inferri, quocunq; tandem respectu. Dicis. *Cæsar porro etiam in qualitate Cæsaris consideratus in propria causa per leges Imperij Germanico-Romani, Electoribus præsertim inconsultis, & iuris ordine non seruato iudicare, & Electorem Imperij in bannum declarare nequit.* ℞. In atroci casu, ingruentéq; exitij periculo, cùm armatus hostis conuentui indicendo moram adimit, Cęsarem id posse, quia quando iuris ordo interrumpitur, & alij bipennibus agunt, criménq; adeò manifestũ est, vt nullo argumento demonstrandum sit, vtiq; & Cæsari fas erit humano iure vti, & quocunq; modo Maiestatem suam vindicare. Respondeo 2. Consultos fuisse Electores Mülhusij, vbi concors sententia fuit, vtendum in hostem Palatinum iure Imperij vsitato: Vsus est Cæsar hoc iure, Homilia facientem monuit, peruicacem, & monita contemnentem proscripsit, sine alio Electorum conuentu, quem cogitatum infesta proscriptorum arma impediuerunt; atque ita in re tanti momenti Cęsar Electores non præterijt: sed vos præterijstis ius & virtutem.

ANIMADVERSIO III. Scripseram Caluinistas iuisse Viennam, causamq; egisse accusatione iaculatoriâ, magno cum sonitu non verba, sed pilas mittendo in ipsum

sacro-

ſacroſanctum Cæſaris cubiculum. ℞ Animad. *Iterum confundit Fabius tempora, quæ illum diſtinguere par erat.* CAST. Quæ tempora ego confundo? Vos confunditis tempora, & res vniuerſas Imperij, ſiue Rex tuus iam in Bohemia fuerit, ſiue venturus erat, Caluiniſtæ ad murum Viennę conſedêre; tu *Lutheranos illos* indigetas; ſed certè pilæ, & immenſi bombardorum globi fuêre Caluiniſtici. Scis quid velim, ſcio & quid tu velis.

ANIMADVERSIO IV. Dixeram. Habeat ſanè Cæſar ſuum Iudicem, cùm aut iniuriæ, aut damni apud alios auctor eſt. ℞ Animaduerſor implicatiſſimè quædam, tãdem iſta. *Hoc tantùm velle Palatinos, Cæſarem ſiue Senatum Aulicum, non fuiſſe competentem in cauſa Bohemica Iudicem, nec iure potuiſſe Bannum Imperij contra Palatinum decernere, & multò minus vi illius Banni Electoratum in Bauarum legitime trãsferre. Hoc dixerunt, dicunt, & vt apparet, dicturi ſunt Palatini, nec immeritò, vt ipſis videtur.* CAST. Qua verò de cauſa non fuit cõpetens Iudex Aulicus Cæſaris Senatus? Eſtne ab Imperatoris ſceptro eximius Princeps tuus? In conſilium fortaſſe & Septemuiri vocandi fuiſſent? vocati fuere Mülhuſij, cenſeruntq; vos monendos, & ſpernentes imperium, coërcendos ex iure antiquo. Vltima coërcitio, proſcriptio eſt, quę inter arma feſtinantia, feſtina eſſe debuit; ſi non ex ore Electorum ſaltem ex

mentefuit, quam Saxo in sequenti anno, quando Collegio suo dignatus est Bauarum, non mutauit, sed Ratisbonensia dumtaxat verba, vobis, vt rebamini, amica, & vestrę profectura causa.

Sigismundus, ais, *Imperator in litteris ad Conradum Archiepiscopum Moguntinum anno 1426. exaratis de cõtrouersia inferioris Germaniæ prouincias tãgente scripsit sibi ius super istas prouincias prætendenti integrum non esse in propria sua causa Iudicis munus obire. Quo iure Senatus aulæ Imperialis, siue Cæsar Ferdinandus in causa Bohemica Iudicis munus obire potuit? Item ait Sigismundus, quia ipsa quoq; lis nobile Imperij feudum concernat, habito cũ Principibus, Comitibus, & Consiliarijs consilio, omnino æquitati conuenire se iudicasse, vt nõ nisi Proceres Imperij de ista controuersia cognoscant, & iudicent. Nonne lis Bohemica omnium nobilissimũ Imperij feudum concernit, & proinde nonne æquitati conueniret, Proceres Imperij de ea cognoscere? Dicat Fabius rationem differentiæ, si potest.* CAST. Lacesse, mi Animaduersor, lacesse Fabium ad has tuas tubas trepidantem. Cadet si tu steteris. Simile tuum dissimile est: nam dubium erat, (si litteras Imperatoris antiquâ fide refers) an Feudum illud in Sigismundi Augusti ius redijsset, an in alterum deuolutum; in hoc certè casu, quod

potens

potens ſit apud cuiuſque animum priuata cupido, prudentiſſimè reijcitur in alios iudicium, etiamſi nullâ lege adigatur. At noſtro in negotio non erat ius, quod Cęſari in Bohemia erat dubium, ſed certum; neque opus erat, quò ad hoc iudice, ſed vindice, cuius munus, qui ſpoliatur, quiuis obire poteſt, ſeu legibus, ſeu viribus; cur enim me meis paterer exui? Dices, vti certè dicis; *Cæſar non ſolum vindicem, ſed etiam iudicem egit, & proſcripſit Palatinum.* Reſpondeo, pace publicâ violatâ, ritè & ordine factum; nam cùm Palatinus flagitium in occupando regno alieno admiſerit, rectè à Cæſare puniri potuit. Fac enim te graſſatorem eſſe, & per occulta itinerum prædas agere, ſi ipſum Iudicem ſpolies; cuius ſpolium ſit, ille non iudicabit, ſcit enim hoc, ſed iudicabit, atq; etiam condemnabit te propter rapinam, quâ bonum publicum offendiſti. Clamabis. *In propria cauſa nemo debet eſſe Iudex.* Do, quando ita vis, etſi non vſquequâq; verum ſit; Cæſar in ſua cauſa non iudicauit, de rapina regni iudicauit, quæ Palatini propria eſt, non Cæſaris, qui omnium ſcelerum in interitum Reip. vergentium, à Deo conſtitutus Iudex eſt, vt tu fruſtra hoc obgannias. *De Banni proceſſu quæſtio eſt, quem vos Bauari manibus, pedibúſque conamini defendere, vt eadem opera, & per vim, acquiſiti Electoratus Palatini ignominiam, & maculam eluatis. Sed exempla veterum Imperatorum,*

aqui-

æquitas naturalis, ius commune, constitutiones Imperij, capitulationes Regum Romanorum, & vota Ratisbonensia duorum Electorum sæcularium, vos iniustitiæ arguunt, & ad omnem posteritatem arguent.

Valde veremur, mi Animaduersor, Omne sæculum iustam, ac fortem Bauari dextram commendabit, quâ Imperatori per facinus vobis armis appetito vindex adfuit, Electoratúmq; gloriosę militię præmium palàm meritò tulit, neque contra exempla veterum Imperatorum, neq; contra æquitatem, aut ius vllum. Si duorum Electorum vota fuêre aduersa, quatuor aliorũ fauêre: & ex duobus illis, quæ vbiq; effers, alterum ad nos iam inclinauit, vt vnus solus supersit, qui proscriptum Palatinum nolit, tu causam noluisse debebas.

ANIMADVERSIO V. Scripseram Caluinistas sceptro suo subiectum habere Cæsarem, & cancellis suis coërcere desiderare. ℞ Animaduersor. *In eo Caluinistis insignem fieri iniuriã. Si formalia Aureæ Bullæ verba vsurpantes dicunt, quod Imperator habeat super causis, pro quibus iure impetitus fuerit, coram Comite Palatino Rheni S.R.I. Archidapifero, Electore Principe, respõdere, quis hoc ipsis vitio vertere potest?* CAST. Nemo fortasse vos carperet, si Aureæ Bullæ morem gereretis. Aurea Bulla famam tantùm iudiciariæ vestræ

pote-

poteſtatis agnoſcit, & permittit, quod nunquam contigit. Dic enim mihi, & indice monſtra tempus, quo Palatinus aliquis aduerſus Cęſarem ſublimis ſedit? Scripſit Fabius iſta de vobis non propterea, quæ in aurea Bulla leguntur, ſed quę extra orbitam tentabatis contra Auream Bullam, quæ ſacroſanctam Imperatoris Maieſtatem ſeruandam pręcipit. Neq; tu neſcis, cur iſta ſcripſerim, quia in Litura legiſti, & rubuiſti, atq; idcirco iam alieniſſima cõminiſceris. Repeto igitur tibi veſtra conſilia.

Sicubi contingeret quemcunque Imperij Procerum ab Cæſare, vt tanquam Imperij capite, vel tanquam priuato, ſiue in Judicium re adductâ, ſiue ſecus grauari; Palatinum poſtpoſito interpellantis reſpectu poſſe, ob rationes ibidem aſtructas, in Cæſarem, ſeu in Appellationis, ſeu ſimplicis querelæ rebus, Iudicem agere: Id & S. Imperij difficultates grauiſſimas exigere, & Palatinum ex officio laborãti Imperio manum debere præbere, &c. Clariſſimum verò eſſe multiplicia onera Ordinibus, præſertim Euãgelicis incumbere; in dies etiã ab Aula Imperatoria accumulari, & poſt tot, támq; graues admonitiones nihil tamen imminui. Quòd ſi Cæſare in cãcellos priſtinos concluſo, Elector Palatinus pro Iure ageret, minimè dubiam fore grauaminum leuationem; ante non impetrandã, quàm Aula Cæſarea cõſulta reſcin- In Reformatione Donavverda

 dantur

dantur. Re igitur communi, Statuum inprimis Germanorum, sic periclitāte, nemine vllo opitulante, teneri Palatinum Jus illud suum obtinere, & Iudiciario more in Cæsarem vti: Tum etiam ipsius, & omniū posterorum plurimùm interesse authoritatem illam hucúsq; velut intra vaginam conditam sese exserere tandem: nec pati, vt indulgentiâ quâdam, vel etiam solâ dissimulatione, sicut ferè in aliis vsu venit, Libertas hæc tam præclara, aut in desuetudinem, aut in obliuionem abeat.

De his omnibus, mi Animaduersor, nulla Bulla loquitur, sed libido Caluinistica in medium adfert, vt Imperatorem è medio tollat. Frustra nubem infrà his enarratis obtendis, quasi nihil aliud postularetis, quàm quod Bulla aurea tribuit. Frustra, inquam: Rarum enim Aurea Bulla casum permittit, vos omnes ambitis, & cupitis quotidie Iudicem iudicare.

Parcite, Caluini non appellamus ad aram.

An adhuc iniuriam facio? ij estis Caluinistæ, vt iniuria vobis fieri non possit, quia quidquid mali dici potest, facitis. Quæ hîc contra Auctorem Iustitię Cæsareæ Imperialis spicula mittis, extra metas meas aërem verberant, idcirco non excipio, vt retorqueam. Auctorem ipsum bellatorem exspecta: prouocas plures, vt à pluribus sternaris.

ANIMADVERSIO VI. Scripseram Feuda læsæ Maie-

Maiestatis crimine in Feudi Dominum patrato, ex vulgata Iurisperitorum sententia in Domini manus, potestatémq; resignari. ℞ Animaduersor. *Verius esse Feudistas hac in re dissentire, & ex benigniori sententia filios non priuari feudis ex pacto & prouidentia, quia munus generis est, non donum patris.* CASTIGATIO. Quid ad me, quod *verius sit Feudistas dissentire?* an ideo sequitur *benigniorem* opinionem esse veriorem? Ego seueriorem ex Iurisperitorum placitis amplexus sum, non nescius benignioris, quòd Caluinistæ benigniore indigni sint, qui perpetim maligna patrant. Quid censes? benignè, & molliculè vos habeamus, qui iugulo nostro ferrum minamini? Demus, quæ nostra esse possunt ijs, qui nostra nobis abstulerunt? Benignitatem si amas, mi Animaduersor, ostende. Sed ais. *Iurisperitorũ sententia à Fabio allegata intelligenda est ita, vt ex mente eorundem Iurisperitorum locum habeat, quãdo de iustitia, & validitate sententiæ, nulla prorsus cõtrouersia est; in nostro autem casu validitas, & iustitia banni merito in dubium reuocatur.* ℞. non malè te ratiocinari, & casu quodam præcepta Dialecticę religiosiùs obseruare, quàm veritatem in assumpto; nã quòd dicis *sententiæ Cæsareæ validitatem & iustitiã meritò in dubium reuocari,* falsiloquus es; nemo enim dubitat in publicũ, quàm qui religione vobis propinqui sunt.

Agè, effare Animaduerſor, An turbator publicę pacis, & terrarum aut raptor, aut euerſor, Cęſaris iuratiſſimus hoſtis, vi Conſtitutionum Imperij non poſſit proſcribi? poteſt, poteſt & ſtabit à me Spirenſis Camera, quę non ſemel tumultuátes & ſeditione pares tuo Principes proſcripſit. At Principem tuum commiſiſſe periculo totam Germaniam, occupâſſe alienam prouinciam, vaſtâſſe terras, nemo hominum ignorat. Cùm ergò crimen notiſſimum ſit, & pœnâ digniſſimum, Quis iniquam ſententiam dicat, quę pœnam inflixit?

ANIMADVERSIO VII. Refert Animaduerſor me hoc ſcripſiſſe, *ab Electoribus conſilium petitum eſſe, conſenſum etiam expectatum, & prateritos non eſſe Electores, quippe ad conuentum vocatos, ſed per ipſos & per certas, quas adferebant, cauſas ſtetiſſe, ne coirent. Hac ſunt verba Fabij obſcura & intricata.* CAST. Ego verò tibi habeo gratias Animaduerſor, quòd *verba mea intricata* dicas, & facias. Tu *intricatus* videris in mala cauſa. Petitum eſt primò conſilium ab Electoribus aliiſq; Imperij Principibus Mülhuſij, cenſuerunt more maiorum ex Imperij ſtatutis in monitum Palatinũ, & refractarium agendum, intentandáſq; proſcriptionis minas. Qui ſuadet, vt miner, non prohibet, quod minatus ſum exequi, niſi me illuſum velit, & poteſtatem, quam me oſtentare puniendis iubet, ipſe poſtmodum in me exerceat, dum vetat manum, quam ipſe ſuſtulit, ferire. Addo

ob hoc

ob hoc Septemuiros alterâ quoq; vice vocatos, sed quia bellum multi senserant, omnes timebant, non fuit consilij per tantum discrimen conuenire. Quid faceret Imperator? omitteret ideo munus suum, & gladium vaginâ coërceret? Sciatur hoc in publicum, cras nouus erit ab inquieto aliquo motus. Si coïre velint cum Imperatore Electores, impediet, & impunè, prout feret furiosus animi impetus, ferro grassabitur. Itaq; petitus est consensus, & expectatus quoad licuit. Sed velim mihi dici, cur in tanto Reip. periculo nefas sit Cæsari rebellem proscribere? Capitulationes, quas vocamus, ideo consulentes Electores volunt, ne ex tantæ pœnę denuntiatione paci publicę noceatur, & Imperium bellis inuoluatur, quod fieri subinde posset, si Cæsar iræ fortasse intempestiuę frenos permitteret, oportet ergò adesse, qui consilijs violentiori irę habenas adducant. At quando non iam timor belli imminentis est, sed ipsa Bellona passim per Prouincias perfurit, quādo rebellio ipsum Imperij caput petit, quid Cęsar cunctetur parcere percussuro? quid expectet alios consulentes tam lento cōsilio periturus? Demum vbi Cęsar promisit, non se absq; Septemuirorum arbitrio proscripturū Principem, armis & ferro accinctum, ipsam Cæsaris sedem inuadentem, & Rempublicam præcipitantem? Sunt quædam subita facinora, quę moram iudicij non ferunt, & rectè damnatur facto, qui iuris ordinem vesano Marte

ſubuertit. Liceat modum excedere ſummo Capiti, cùm modum excedit rebellis.

Super translatione, inquis, *Electoratus Palatini non fuiſſe Electores conſultos, nec auditos, ipſa propoſitio Ratisbonenſis, & vota eorundem negotiorum demonſtrant:* Et paulò pòſt: *Ex quibus locis apparet, punctum translationis per modum intimationis, ſiue ſignificationis, & non conſilij Ratisbonæ propoſitum fuiſſe.* ℞. Carolus Cęſar Mauritio Saxoni Electoratum, quem Ioannes Fredericus rebellione amiſerat, promiſit in caſtris apud Sunthemium 27. Octobris Anno 1546. ſano, vt Saxonici Legati Ratisbonę dixerunt, conſilio, & Imperij Fidelium conſilio, & maturâ habitâ deliberatione. Anno inſequente caſtris ad Wittenbergam locatis, vti promiſſis ſtaret, Mauritium Carolus Electorem renũtiauit, abſq; vllo prius indicto Septemuirorum conuentu, neq; conſtat ab vllo conſenſum poſtulatũ. Anno 1548. conſentientibus alijs Electoribus, maximâ ceremoniâ & auguſtâ ſolennitate à Carolo Mauritius, nemine palàm obnuntiante, inauguratus eſt.

Duo aduerſus iſta, & alibi, & hoc loco adfers: primũ eſt; *non fuiſſe parem Saxonis, & Palatini culpam, quòd Saxo Maieſtatem Imperatoriam ipſam violarit, quippe qui Cæſari nomen Cæſaris iam ademerat, Imperium etiam, ſi fortuna fauiſſet, adempturus.*

Reſpon-

Respondeo, consilium Friderico Saxoni non fuisse Imperio Cęsarem exuere, sed libertatem publicam, quam imminutam putabat, defendere; quod discere potuisses à Thuano tibi laudatissimo Historico. Scribit is in lib. 2. part. 1. hunc in modum. *Saxo, & Hessus, qui Donavverdæ subsederant, iuxta belli legem, scripto bellum denuntiant, quo repetitis superiorum temporum actionibus, & purgatis iterum, quæ obijciebãtur, criminationibus, quàm iusta sint arma, quæ induerint, multis rationibus demonstrant; nempe pro religione, & patriæ libertate, quarum causa ea esset, vt fidem & obsequium, quibus Cæsari deuincti sint, soluant, quæ proinde ei amplioris cautionis gratia renuntient salua Imperij Maiestate, quam nullatenus imminuere, aut violare aut velint, aut debeant.* Hactenus Thuanus, ex quo facilè perspicitur Saxoni decretum non fuisse, Cęsarem, vt vos dicitis, persequi; sed religionis duntaxat Lutheranæ hostem, & Germanicę libertatis oppressorem; cùm deinde de litteris inscribendis altercatio orta fuisset, & Saxo pertenderet, minimè appellandum eũ Cæsarem, alioqui se perduelles fateri, qui Cæsari, cui fidem & obsequium debeant, bellum denuntiarent; Hessus contradictitabat; Non dignitatem, & summum Imperij Magistratum eo bello peti, sed eum, qui in illa dignitate, ac Magistratu constitutus sit, quem propterea Cæsarem vocent.

Neq;

Neque Saxo negauit hanc esse fœderis Schmalcaldici, in Cæsarem bellum gerentis mentem, atq; idcirco via media reperta, quâ epistola inscriberetur, *Ei qui se pro Cæsare gerit*: Planè non absimili modo, quo hodie Caluinistæ loquuntur se bellum intulisse Archiduci Austriæ; nā si faterentur arma in Cęsarem sumpta, iam se infami perduellium nomine contaminarent, alioquin impuri. Sed quisquis animus fuerit, Cæsarem Palatinus oppugnauit Bohemiam occupando; iam enim Cæsaris erat, quando Palatinus fanaticæ electioni assensus est, & ab offerentibus accepit, quod Cæsaris esse non nescijt, siue illud obuenerit Cæsari, vt Cæsari, siue vt Archiduci; Cæsaris sunt omnia, quæ Cæsar possidet, & qui de ijs rapit, Cæsari rapit, temeràtq; Maiestatem eius, quæ separari à persona Archiducis non potest, cùm idem & Archidux, & Cæsar sit, & aggrauatur facinus magnitudine personæ, quæ læditur.

Dices deinde disparitatem esse in eo, *quod ipse Saxo Fredericus voce, & scripto renunciarit iuri suo anno 1547. 25. Maij. Palatino autem iura adhuc salua esse, quod nihil de illis remiserit, aut alteri concesserit.* Respondeo illam iuris renuntiationem Frederico non fuisse spontaneam. Erepturus erat Victor Carolus, nisi cederet, aut promissum seruaret. Væ victis, aiebat ille, qui cùm non satis auri libræ adfunderet hostis, aduerso ponderi apposuit gladium.

Quid tuus Palatinus fecisset, si capto idem fuisset impera-

impetatum? Multa facit, quem fortuna deprehendit, quæ liber damnaret; vt se vinculis expediret, cætera in casum dedisset. Quia verò Fridericus regno malè parto excedens extra Imperij fines profugit, & ad Electoratus resignationem adigi non potuit, fecit Cæsar, quod summus Iudex facere potest, quidquid rei reus, iuríue habuit, proscriptione ademit. Itaq; nulla est dissimilitudo in Cæsaris facto, sicut enim Carolus, postquam iam non promisit solùm, sed etiam transtulit Electoratum, Mauritium demum anno 1548 24. Feb. Augustæ annuentibus Septēuiratus Collegis, vt iuridicè loquar, inuestiuit; ita & Imperator Ferdinandus promisit primò Bauaro Electoratum, sicut Carolus Saxoni, ob pares, & fortes operas, neque tamen Electorem renuntiauit, quod Carolus fecit, antequam Septemuiros conuocaret; neq; illis, nisi paucioribus, inuitis, reipsâ tantum honorem publicè, & in amplissimo Procerum consessu in manus consignauit. Ferdinandus igitur minus fecit, quàm Carolus.

Sed, ais tu Animaduersor, *Rectè Legati Brandeburgici Ratisbonæ ad hoc exemplum responderunt, etiamsi concedatur Carolum inconsultis planè Electoribus Saxonem, & Landtgrauium proscripsisse. Tamen per sequentes Capitulationes, & inprimis per vltimam illud in futurum expressè prohibuit. Et rectè sane quia alioqui sequeretur art. 26. Capitulationis esse inanem, superfluum, & nihil operari.*

Nego, mi Animaduersor, per vltimam capitulatio-nem Cæsari vetitum rebelles Electores, supremum magistratum oppugnantes proscribere, articulus enim 23. quem aduersum me edis, pro te nihil operatur. Audiamus illum.

Debemus & volumus etiam præcauere, & nullo modò committere, vt inposterum quisquam tam superioris, quàm inferioris sortis homines, Electores, Principes, vel alij Ordines, absq; causa, & inauditi proscribantur; sed multò magis in illis casibus ordinarij processus, & S. Romani Imperij Constitutiones ex præscripto eiusdem Imperij A.C. M.C.LV. reformata Imperialis Cameræ constitutionis, & subsecuti Comitiorum recessus, ordinario, legitimóque modo obseruentur. Attamen vt læsæ parti, iuxta pacis prouincialis requisita, legitima sua defensio reseruetur. Hęc verba, Animaduersor, Cæsari manus non vinciunt, vt necesse sit sedendo spectare Prouinciarum suarum ruinam, & grassanti armis hosti codicem legum obijcere. Neq; absq; causa, neq; inauditus Palatinus proscriptus est. Quis enim de causa ambigit? Audi Animaduersor; Ego tibi colaphum infringo, tu irasceris, & me quoque pulsas absq; causa. Ego te bonis spolio, & domum tuam incendo, tu irasceris, & in me ferro tendis absq; causa. Ego tuos ciues, & clientes trucido, tu irasceris, & me diris deuoues

absq;

absq; causa. Quid putas Animaduersor, totum mundum esse bardum? E'cquæ, oro te, causa causę Cæsareæ deest? Nónne tuus Princeps Cæsarem armis inuasit? Nónne spoliauit regnis? Nónne impio Marte plurimos ferro sustulit? Nónne totius Imperij pacem turbauit, & omnem Europam concussit? Nulláne tibi videtur hæc causa, vt Cæsar irascatur, & furentem hostem proscribat? At *inauditus proscriptus est*; quasi verò aliquis hominum sit, qui Palatinum non audierit, & iniquitatem belli eius nesciat? Quid verba & scripta expectem, cùm mihi factis loqueris? & tamen monitus est principiò Palatinus, non à Cęsare solùm, sed à Septemuiris quoq;; additę minæ; contempsit, citatus est, perrexit. Quid? Cæsar non pergeret, & iuredicundo se occuparet aduersus euersorem iuris & ordinis? Nullus sceptro locus est apud contemptorem sceptri. Per proscriptionem & hastas sententiam audiat, qui hastis processum violentiæ instituit. Quid tu vis Animaduersor? non ausit Cęsar proscribere tuum Principem, & ipse temerario ausu ipsum Imperatorem proscribat? Paruum discrimen est inter Edictum, quo patria, & bonis pellor, & inter arma, quę me ex meo profligant; imò hæc acerbiora sunt, quia non solùm per hęc eripiuntur terræ, sed & ita vastantur, vt etiam, cùm fortuna eas reddit, non habeam. Nihil igitur in hunc articulum delicti commissum; Vbi enim in illo aut hæc verba, aut verborum sensus? *Non proscribam quenquam Principum, absq; Septemui-*

ratus consilio, etiamsi me armis opprimere in animum inducat, & contempto tribunali faciat? Alijs in criminibus Cæsar haud grauatè consilium expetet, ne de facili causa bello detur; at vbi iam bella sunt, & bella Cæsari illata, frustra Senatorum cætus imploratur, ne fiat, quod fit. Proscriptione cogatur bello absistere, qui proscribi fortasse tam properè non potuisset, nisi Cæsarem oppugnâsset.

ANIMADVERSIO VIII. Scripseram Ratisbonæ plurium sententiæ delatum fuisse. ℞ *Improbatum hoc fuisse à Legatis Saxonicis, & Brandeburgicis, ideo quod pluralitas votorum contra expressam dispositionem Capitulationis non habeat locum.* CAST. ℞. 1. Nullam esse expressam hoc in genere Capitulationis dispositionem. Vbi enim iubetur Cæsar Principem suo iugulo imminentem in ius trahere, & postquam prostratus est, tum demum surgere, vt plurium consilio hostem *inuadat?* qui me cito perdere vult, cito pereat. ℞. 2. Si duo Principes censuere, plurium vota vim non habere, scito quatuor Principes reipsâ obnuntiâsse, ostendisséq; suæ mentis non fuisse paucitati plus iuris tribuere, quàm multitudini, & haud dubiè in pari Senatu non possunt pauciores pluribus legem figere, nisi disertè cautum sit nihil in hoc, aut illo genere, nisi ex omnium sententia statui posse. Certum autem est aliàs maiora, vt vocant, Electorum vota præualere.

CIRCA

CIRCA CONSIDERATIONEM SEPTIMAM.

ANIMADVERSIO I. Scripſeram ſtudia Caluiniſtarum ad fundamenta Imperij conuellenda collimâſſe. ℞ *Calumniam eſſe.* CAST. ℞ ego non *calumniam*, ſed *calamitatem* futuram fuiſſe, ſi impijs Caluiniſtarum conatibus ſors fauiſſet. Experientia docet ſatis conuulſum eſſe Imperium temerarijs eorum ſtudijs, nihil ſtabiliuere, niſi malum in patriam animum, quem adhuc obſtinatè ſeruant.

ANIMADVERSIO II. Scripſeram nunquam diſcriminabunt Archiducē à Cæſare. ℞. *Imo facile.* CAST. Imò nihil. Quia quidquid ſit in cæteris, cùm iniurijs aduerſus Superiorem agitur, quocunq; reſpectu agas, Superior iniuriâ afficitur. Quapropter non eſt neceſſe, vt me ad Gailium & Beſoldum ableges, vt diſtinctiones diſcam, iam ſcio; alioqui te inter bonos numerarem.

ANIMADVERSIO III. Scripſeram à Caluiniſtis Tūrcas inuocatos, & Tartaros expectatos. ℞ Animaduerſor *per Legatos auxilium Turcarum imploratum non fuiſſe.* CAST. Ecquid igitur miſſi ſunt? an vt Turcæ chlamydem tantùm deoſcularentur, & officia aulica deferrent? Negare tu multa potes, quę ego credere poſſum, quòd ſimilia à te viderim. Deinde ſi Legati auxilium non petière, alij ſubière hoc munus, & fatetur ipſe Turnius ſe

diu ſeſſitando ad illam portam mendicâſſe ſtipem armatam, imò cùm Chriſtiani verecundarentur, Iudæus tam pium opus proſecutus eſt, ex non mediocri in Caluiniſtas amore.

Malam fidem, inquis, *Fabij ex eo Lector facile deprehendet, quod hanc legationem Caluiniſtis tribuit, cum tamen conſtet in Bohēmia, Morauia, Sileſia, Auſtria rerum ſummam, & arbitrium non penes paucos reformatos, ſed penes Lutheranos eſſe.* Reſpondeo. Non me de numero contendere; ſint pauciores Caluiniſtæ; & hoc modo nimij ſunt, quia gubernacula, quæ prehendêre, non dimittunt; ab his Lutherani, vbi mixti ſunt, aut pendent, aut pereunt.

CIRCA CONSIDERATIONEM OCTAVAM.

ANIMADVERSIO I. Scripſeram iuris naturę eſſe ſua defendere, & fas fuiſſe Auſtriacis ſeruare ſe etiam vi, cùm vi impugnantur. ℞ Animaduerſor. *Nemo negat defenſionem eſſe iuris naturalis. Non fugit etiam nos eſſe quædam (vt Liuius ait Decade 3. lib. 1.) belli iura, quæ vt facere, ita pati ius ſit; ſata exuri, dirui tecta, prædas hominum, pecorúmq; agi, miſera magis, quã indigna patienti eſſe. Non igitur adeo querimur nos à vobis hoſtilia paſſos. Marti communi & anci-*

piti,

piti, vti ab Hannibale apud eundem Liuium voca-tur, hoc adſcribendum eſt. CAST. Calamus meus moræ impatiens, antequam tua abſoluas, in chartam procurrit, adeò geſtit, quòd ipſe tua vineta cædas, & noſtra exornes. Si defenſio noſtra *iuris natura* fuit, vti tu hîc fateris, ergò & cauſa noſtra iuſta fuit; nam vt iniuſtam cauſam defendas, lex naturę vetat. Si latronem perſequar, qui ſpolia mea fert, potéſtne ſe ille iure defendere, & mihi duellum facere, ne mea recuperem? Minimè gentium. Si Bohemiæ regnum veſtrum reuerà fuit, non potuit illud ſibi vindicare Cæſar, nec cùm ſe contra veſtra arma defendit, iure naturæ defendit, ſed contra ius naturæ iniuſtis armis abſtulit id, quod veſtrum erat. Expecto iam, quid velis; ſi dicas te non negare defenſionem noſtram iuris naturalis fuiſſe, nec te multum conqueri, *quòd hoſtilia paßi ſitis*, approbas cauſam noſtram, & damnas tuam; oſtendis enim te iniuſtum in nos bellum mouiſſe, & nobis ius naturæ permiſiſſe defenſionem. Si ergò nos iuſtè bellauimus, vos iniuſtè bellâſtis, cùm bellum vtrinq; iuſtum eſſe nequeat. Pergamus igitur, & audiamus iuſtam querelam. *Palatini proſcriptionem*, inquis, *& iuris Electoralis in Bauarum translationem, ſub prætextu iuſtitiæ à vobis Bauaris per publica ſcripta defendi, & tanquam heroicam aliquam actionem magnificè extolli, & prædicari, de hoc conquerendi iuſtißimam cau-*

ſam

ſam habemus, & vtrumq; contra leges & iura Imperij factum eſſe publicè aſſeueramus. CAST. Magno animo belli incommoda fert Animaduerſor, ſed alia illi pectus perfodiunt, *proſcriptio Palatini, & translatio Electoratus in Bauarum*; hæc ſunt duo tormenta, ad quæ meritò exclamat, quia pars cauſæ fuit. Mouerer certè ego cum illo, niſi lamentis falſa interſereret, nam contra leges aut iura Imperij neque proſcriptus eſt Palatinus, neq; Septemuirali dignitate exutus. Quæ enim iura vetant pernicioſiſſimum Reip. Principem & Imperij perturbatorem proſcribi, & more maiorum puniri? Non lex vlla, non capitulatio vlla prohibet. Sunt quædam iura in rebellione caſtrenſibus ſimilia; ſummus belli magiſtratus, vbi caſus exigit, proditorem obuiò primo ramo ſuſpēdit inconſulto belli iudicio, quod citra neceſſitatem non faceret; ita in rebellione cùm omnia ſurſum deorſum voluuntur vnius crimine, poteſt ſupremus magiſtratus noxium plectere, neq; id, ſi rationem ſequantur, ægrè ferre poſſunt, qui tribunali alioqui etiam aſſediſſent.

ANIMADVERSIO II. Scripſeram Heidelbergam multis annis ſeditionis officinam fuiſſe. ℞ Animad. *Officinam publicæ libertatis fuiſſe verius eſt.* CAST. Scilicet Heidelberga *libertatis officina* ſit? alijs nullam obtinuit, & ſuam amiſit.

CIR-

CIRCA CONSIDERATIONEM NONAM.

ANIMADVERSIO I. *Allegat malè Fabius legem; qua ſtatus Imperij alienos ſubditos in protectionem recipere vetantur. Eſt enim magna differentia inter ſubditos alicuius Status Imperij, & inter Ordines regni Bohemiæ, qui & eligendi Regis ius ex Aurea Bulla habent, & legibus, ac iuriſdictioni nullo modo ſubiecti ſunt.* CAST. Non ego *malè allego*, ſed tu peſſimè explicas leges Animaduerſor. Quæro enim ex te, an ſit ex Principibus Imperij Bohemus Elector? Si Princeps, *ſi Status eſt*, vti tu loqueris, ergo nulli fas eſt contra Imperij ſtatutum populos ei ſubiectos ab illo auertere, & ad ſe trahere? Et eſto, Bohemos plura priuilegia habere, quàm alias Prouincias, tuus tamen Princeps non habet priuilegium, vt alterius Principis ciues, in protectionem ſuſcipiat; imò ſi nulla humana lex vetaret, illa vetat, quæ tibi in animo dicit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Cæterùm priuilegia illa, quæ tractas, non Bohemicorum ſolum Ordinum, ſed etiam Regum ſunt, quia Reges ea à Cęſare impetrârunt, non ad libidinem Ordinũ, ſed ad moderatum & iuſtum libertatis vſum; vt taceam neminem vnquam priuilegium expellendi Reges accepiſſe, neminem dediſſe. Fuerunt immunes, & liberi Bohemi, quamdiu ciuiliter egere; tunc certè non fuere, quã-

do proiectâ in Regem Reuerentiâ pro libertate inhiârunt licentię, profana, & sacra omnia miscuere: tamdiu priuilegio vtimur, quamdiu digni sumus; qui tribuit, auferre potest sontibus.

Sed ais, *Subditos, qui in Regis, aut Principis alicuius potestatem certis fœderibus & legibus, ac priuilegiis sibi reseruatis venerunt, si priuilegia violentur, se alterius Principis protectioni, ac fidei permittere posse. multis exemplis probatur.* Respondeo, Non esse hîc locum tecum litigandi de Bohemorum iuribus: fuerint eius seu potestatis, seu licentię, quam prædicas, à nullo certè Iure ius habent iustum Regem abdicandi, & repudiandi ob administratam violenter Rempublicam, qui nihil dum administrauit. Quæ priuilegia Bohemis violata fuere? prohibiti sunt à Cæsare Matthia in alieno fundo Caluinianam Moschæam struere; hóccine priuilegiũ violare est? Vnde vobis hoc priuilegiũ contra septimum Decalogi præceptum de abstinentia alieni? Quod tuum est, vsurpa; fundus meus mihi seruitutem debet. Non libet progredi, & alia quędam eiusdem gentis priuilegia excutere, præsertim Maiestatis litteris contenta. Rapta illa potiùs sunt, quàm obtenta, vt sciamus, quantũ valeant violenta; eandem vim habet cum grassatore occisuro pactum, sed me abripio.

ANIMADVERSIO II. Scripseram litem Palatinis maiorem cum Maximiliano I. quàm cum Bauaris fuisse.

Respon-

℞. Animaduersor. *Nemo dixerit vel Maximiliano vllam litem de re priuata cum Palatinis, vel illum in propria causa Iudicem fuisse.* CAST. Imò verò in re etiam priuata, & propria causa Iudex fuit Maximilianus; nã cùm Palatini Duces armis sumptis in Imperio tumultuarentur, pro Imperatoria potestate Maximilianus arma eos ponere iussit. Quòd refractariâ obstinatione nullo reuerentiæ Cæsareæ respectu cùm abnueretis, vt contumaciam vestram, suumq; despectũ vindicaret, in vos bellum fecit, & cùm vos proscripsit, non proscripsit tantùm, quòd Bauaros bello vexaretis, sed quòd Maiestatem Cæsaris contemneretis; fuit ergo Iudex etiam in priuata, & propria causa, quia contemptus personam illius affecit.

Maximilianus, ais, ***diu multúmq; in componendis dissidiis inter Palatinos & Bauaros laborauerat. Palatinis etiam satis æquas conditiones obtulerat, quibus reiectis, tandem re benè deliberata, consciis Ordinibus Imperij ad solennem Banni declarationem deuenit.*** Respondeo mirari me, te etiamnum sopitas tot annis tuorum rebelliones recensere, quasi gentilitium decus sit Heidelbergensis domus, Cæsarum Imperia spernere. Scire tamẽ cupio, apud quem legeris, *Maximilianũ consciis Imperij Ordinibus* (Assessores Spirâ euocauerat Augustã) hoc est, quod indicare videris, prius

consultis Electoribus Imperiale anathema Palatinis inflixisse. Ideo certè refers, vt ostendas ab Ferdinando perperam factum, quòd consultationem eiusmodi omiserit: omisit, quia vos nefariè & perpetuato bello impediuistis.

Alia est, inquis, *in nostro casu ratio, quia Cæsar in causa Bohemica, quæ ipsius propria, & priuata est, Judex fuit, & quamuis in illa causa non Cæsaris, sed Archiducis personam repræsentaret, tamen Bannum Imperij contra Palatinum, & quidem Electoribus inconsultis, & inauditis publicauit.* Respondeo non esse disparem rationem, nisi fortasse vestra causa peior sit; Maximilianus tuos Palatinos proscripsit, quia Bauaros obstinatè perditum ibant; potuit hoc Cæsar ob defensionem aliorum facere, & non poterit facere securitatis suæ causa? Sed rectè habet, quod rursus personam Cæsaris hîc mihi in duas seces. *In causa*, ais, *Bohemica non Cæsaris, sed Archiducis personam repræsentauit*; id, si ita est, Cæsar *in propria causa*, Iudex non fuit, sed in causa Archiducis, quem Cæsar protexit, vt olim Maximilianus Bauaros. Deinde iam suprà dixi, Iudicem posse furem domus ipsius expilatorem in crucem agere, quia in hoc non censetur suam causam agere, sed punire delictum publico noxium, si immane sit, quale vestrum est in Cæsarem cõmissum: si enim Cæsar tutus à vobis non est, quis satis vigilabit? ego non dormiturio?

ANIM-

ANIMADVERSIO III. Nominaueram Fredericum Secundum Palatinum rebellem. ℞ Animad. *Rei totius narrationem Lector inueniet, apud Hubertum Thomam Annalium lib.* 13. CAST. Quæso, quid ad domesticum Scriptorem prouocas? an rebellionem purgare conaris? Laudaui meorum ego verborum testem Auilã, tibi fortasse, vti sine dubio sentis, non admodum amicũ. Audi ergo tuarum tum partiũ Scriptorem Schleidanum. *Cæsar* inquit, *Halam oppidum Sueuiæ nuper ei reconciliatum proficiscitur, eò venit ad ipsum Elector Palatinus Fredericus. Is quadringentos equites auxilio miserat Smalcaldicis, cùm essent ad Ingolstadium. Itaq; Cæsarem adit, & non ipsius oppugnandi causâ, verùm quòd ex fœdere priuato teneretur Wirtẽbergico Duci, factum hoc esse demonstrat. Cæsar eum acribus verbis excipit, & enumeratis, quæ contulisset in ipsum, beneficiis, grauiter incusat; veruntamen ignoscit, & vt errorem hunc, atq; culpam in posterum accuratiore fide compenset, hortatur.* Hæc Schleidanus, parum ad innocentiam Palatinam; nam quis est iste sui defendendi modus, *misi quidem ad hostes te oppugnantes vim equitum, sed nõ tui oppugnandi causâ.* Cur ergo missi fuere bellatores illi, an vt spectatores tantùm pugnarum agerent? *Fœdere tenebatur*, dices, *Wirtenbergico.* Hoc'ne fœdus etiam in Cæsaris caput initum

erat? si ita, rebellium erat; si secus, fœderis causâ subsidium Wirtenbergico nullum debebat. Sed audi etiam beneuolentiâ erga te, tuósq; plenissimum pectus, Thuanũ, lib. 2. suæ historię. Is Palatinum in genua fusum apud Carolũ Quintum, ita inter cætera loquentem inducit. *Tu (Cæsar) me perduellem, tu fatentem, tu supplicem reum, imprudentiâ lapsum in gratiam suscipe.* Habemus ipsum reum confitentem, *perduellem* se ipse nominat, quem eum tu appellabis? nemo veniam petit, nemo impetrat, qui nihil culpę contraxit.

ANIMADVERSIO IV. *Sublesta fide* insit Animaduersor, *solis reformatis, siue Palatinis imputat, quæ omnium Principum Vnitorum Lutheranorum nomine, & quidem in rebus Donavverdam, ciuitatẽ Lutheranam, & omnes in vniuersum Lutheranos concernentibus, Cæsari Rudolpho proposita fuerunt.* CAST. Principibus, & rerum auctoribus rectè omnia tribuũtur; vos autem Principes fuisse potissimos huius peruicacioris ad Cæsarem Legationis ex oratione parum verecunda ad Rudolphum habita, manifestum est, nunquam enim vlli Lutherani tam præfractè locuti fuissent, nisi Caluiniano ore vsi.

ANIMADVERSIO V. *Allegat Fabius,* inquit Animaduersor, *ex quodam scriptore Palatino Principi suo altius tribunal erigendum esse etiam in ipsius Impera-*

pera-

ratoris caput, sed candidus Lector facile ex contextu ipso, & ex verbis illius scriptoris quisquis est, perspiciet, loqui eum de eo casu, quando aliquis ex Ordinibus Imperij à Cæsare grauatur, & inquirere in rationes medendi publicis Protestantium grauaminibus, & oneribus, quæ in dies ab aula accumulari, & post tã graues admonitiones nihil imminui conqueritur.

CAST. Etiamsi, mi Animaduersor, lubricitate serpentes ęques, tamen non elabêris cum tuo Heidelbergensi tam seditiosi consilij auctore. Repetam eius verba, quæ tu subterfugisti, vt aliud dicere posses, quàm ille scripsisset. *Sicubi contingeret*, ait, *quemcunq; Imperij Procerum ab Cæsare, vel tanquam Imperij capite, vel tanquam priuato, siue in Iudicium re adductâ, siue secus grauari; Palatinum postposito interpellãtis respectu, posse, ob rationes ibidem astructas, in Cæsarem, seu in Appellationis, seu simplicis querelæ rebus, Iudicem agere: Id & S. Imperij difficultates grauissimas exigere, & Palatinum ex officio laboranti Imperio manum debere præbere, &c. Clarissimum verò esse multiplicia onera Ordinibus, præsertim Euangelicis incumbere; in dies etiam ab Aula Imperatoria accumulari, & post tot, támq; graues admonitiones nihil tamen imminui. Quòd si, Cæsare in cancellos pristi-* Vide Informationem Donavverdanam.

nos

nos concluso, Elector Palatinus pro Iure ageret, minimè dubiam fore grauaminum leuationem; antè nō impetrandam, quàm Aulæ Cæsareæ consulta rescindantur. Re igitur communi, Statuū inprimis Germanorum, sic periclitante, nemine vllo opitulante, teneri Palatinum Ius illud suum obtinere, & Iudiciario more in Cæsarem vti: Tum etiam ipsius, & omniū posterorum plurimum interesse authoritatem illam, hucúsq; velut intra vaginam conditam sese exserere tandem: nec pati, vt indulgentiâ quâdam, vel etiam solâ dißimulatione, sicut ferè in aliis vsu venit, Libertas hæc tam præclara, aut in desuetudinem, aut obliuionem abeat. Hæc tuus Symmista Heidelbergensis, ex vestra omnium mente, non autem ex sensu Aureæ Bullæ, cuius hæc sunt verba. *Et quamuis Imperator, siue Rex Romanus, super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (sicut ex consuetudine introductū dicitur) coram Comite Palatino Rheni, sacri Imperij Archidapifero Electore Principe respondere; illud tamen Iudicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquā in Imperiali curia, vbi Imperator residet, seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.* Hæc sunt Aureæ Bullæ verba, quæ ad tribunal Cæsaris, vt scilicet id libidini Palatinæ subiaceat, quasi sententias à summa potestate iam latas rescindere ius sit, nequaquam perti-

pertinent; facta duntaxat Cæsaris, quæ alijs aut iniuriosa sunt, aut damnum adferentia, potestati Electorali permittuntur, quę nulla est, nisi in aula Imperatoria exerceatur. Vos autem omnia, quę iam Senatus Cæsareus vobis abiudicauerat, aut abiudicaturus erat, nimiâ licentiâ aucupabamini, & erigebatis subselliũ Imperatorio altius, qui ad hunc vsq; diem neq; vllũ musculum ad sedem Cæsareã in ius vocâstis cũ omni potestate vestra, quæ neq; in mores venit, neq; *Legibus*, vt vanè anteà gloriabamini, data est. Ipse Aureæ Bullæ Conditor ius eiusmodi non tanti pendisse videtur, quippe famâ solùm teste, introductum consuetudine, atq; idcirco mandauit, vti non alibi eius vsus esset, quàm in Cęsaris aula, in quã nullus Palatinus cuperet sæpiùs esse hospes inuisus; commodior tanto muneri sedes Heidelberga fuisset, audax aliàs, & spernere Imperium sueta.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM.

ANIMADVERSIO I. *Fabius*, inquit, *de vtero rupto, de infelici partu, de intumescentibus visceribus insulsè quædam blaterat, ita vt inde colligere promptum sit, bonum hunc virum aut nescire plane, aut non intelligere titulum Codicis, plus valere quod agitur, quam quòd simulatè concipitur, ex quo Domi-*

ni Camerarij verba desumpta sunt. Cast. Nimis bene intellexi Camerarij verba, quia & vos nimis simulatè egistis, pacem nobis prædicando, bellum clam meditando. Sed audi sodes, si Iupiter essem, ponderosum tuis ceruicibus torquem inijcerem, & in apice nobilitatis collocarem ob insignem, & mihi contra aurum charam proditionem, quâ rubentem, & clausis oculis lucens cœlum fugientem Camerarium, in medium producis, atq; certũ, indubitatúmq; auctorem libri, cuius ipsum penitissimè pudet, & eâ re toties se innoxium deierat, & me id solum coniectantem acerbâ loquentiâ plectis. Audi Fabi vaniloque. *Ex titulo Codicis Domini Camerarij verba desumpta sunt*, ais tu Animaduersor; bellè & rectè; cuius Scriptoris verba sunt, illius & liber est, sed ista sunt, verba Camerarij ex Codice desumpta: iô Triumphe, Camerarius captus est, & quidem sine spe euadendi.

Animadversio II. Vestra culpa est., ait Fabius, quòd arma ceperitis, atq; etiam extra Bohemiam produxeritis. ℞. Animaduersor. *Arma non Palatinus cepit, sed Austriaci, qui Duce Comite Bucquoio priores Bohemiam aggressi sunt. Fuisse deinde arma extra Bohemiam prolata verum est, sed à Bohemis Bucquoium tanquam primum aggressorem persequentibus etiam ante, quam Palatinus in Bohemia pedem poneret.* Cast. Hic sanè loquitur, ac si Catholici aut

men

mentem non haberemus, aut memoriam. Quis primus arma sumpsit, nónne Bohemi? & vos non ita multò pòst, vt quos consilio instruxeratis, auxilio ne desereretis? Másfeldij enim copiæ non ideo coactæ fuere, vt Bohemica lupuleta custodirent. Bucquoius è Belgio demum vocatus est, cùm omnia iam bello arderent, & in Bohemiam iuit, vt rebelles impijs armis in Cæsarem, Cæsareósq; furentes compesceret; propulsauit bellum, non intulit. Anno deinde sequente seditiosorum, & in Imperatorem pugnātium, Dux factus Palatinus, bellum sacrilegè ceptum non finiuit, sed magno conatu produxit, Bohemiámque legitimo Regi ademit, nullâ vnquam à Ferdinando iniuriâ affectus. quomodo ergo Ferdinandi summus Militiæ Legatus Bucquoius primus aggressor fuit? Si ego aggressor non sum, quando te nihil hostile in me meditantem spolio, da te mihi obuiam, vbi voles, prædonem agam cum virtute.

Animadversio III. Scripseram Palatinum post victoriam Pragensem noua auxilia conquisiuisse. ℞. Animaduersor. *Dicere Fabius debebat, post victoriā Pragensem, & publicatam Banni sententiam, ex quo facile colligere erat, vos regni Bohemiæ recuperatione non contentos esse, sed vobis decretum illum etiam auito patrimonio exuere.* Cast. ℞. Auxilia vobis quæsita, & post victoriam, & post sententiam, quā cōcidistis. Cur autem nefas sit vos Prouinciâ vestrâ exuere,

cùm Cæsarem regno exueritis? Bohemia tum tota non erat in nostra manu, Mansfeldius Palatini nomine aliquot adhuc loca præsidio tenebat, & toti regno iterum imminebat. Ergò id solùm nos fecimus, quod vos feceratis nobis, & iteratò facturi eratis: si ignosci vobis volebatis, ignoscite & nobis.

ANIMADVERSIO IV. Scripseram Palatinum Durlachianis & Halberstadiensibus armis fidentem cùm pacis admoneretur respondisse, non esse tempus subiectionis, aut submissionis. ℞. Animaduersor. *De eo videri potest. Resp. ad Cancel-Bauaro-Anhal. §. 2. in notis ad vota Ratisponensia N. 26.* CAST. Vidi demonstratum à te locum, in eo fateris hęc à Palatino dicta, sed inter arma, & strepitum castrensem, indignatione animum vincente, Tillio ad Wiselocum minus prosperè pugnãte, & fortunâ, vti videbatur, ad vos inclinante. Nimirùm hoc ipsum est, vobis nunquam pacem placuisse, quamdiu vis belli gerendi fuit. Vobis armatis minæ consuetæ, & pacis mentio intollerabilis; Victis & fusis nulla clementiæ implorandæ vox, nullæ preces. Nihil postulare volentibus, nihil offerimus; neque enim hosti beneficia obtruduntur.

ANIMADVERSIO V. Ait Animaduersor me conatum diuinare causam, cur Angliæ Rex viam Palatino in Angliam non aperuerit. ℞. *Me lepidum esse Fabiũ, quod laborem in dirimenda causa rei, quæ in rerum*

natu-

natura non est, nec fuit, nunquam enim aditus Palatino in Angliam præclusus fuit. CAST. Cui tu persuadebis Animaduersor, nõ fuisse vllam Britanno causam, vt Generum, & filiam ad se inuitaret? nónne amanti progeniem suam patrium suasisset pectus, vt eam accerseret ad notos potius, & charos penates, quàm apud hospites longâ morâ fatigandos tædio obijcere? Scio quid ego cogitem, & auguror facilè, quid cogitârit Rex Angliæ. Nuptiæ illæ ab Hespero spretæ non impulêre Socerum, vt Generum non inuitaret, absterrere poterant Generum, si vocatus fuisset. Ais *illi nunquam præclusum fuisse in Angliam aditum*; credo, nec tibi præclusus est aditus in Bohemiam. Veni. Non est opus, vt mihi tuas ædes adeúti, si admittere nolis, foribus pessulum obdas, significa tãtùm, quocunq; tandem indicio aduentum tibi meum ingratum esse, iam emaneo. Sed quid abscondo, quod sentio. Ferunt Regem Angliæ & aduertisse ipsum, & ab alijs edoctum Puritanorum fauentes in profugum Palatinum animos, maioremq;, quàm Reges ferre possunt, amicitiã. Ibant & redibant per mare epistolæ, necessitudo creuit, sparsúmq; non obscurè murmur sceptra illi destinans, qui nec cũ regnis, nec sine regnis viuere posset. Inhorruit Anglus, & vt callidè pestem insidiantem arceret, non mandato aliquo, sed amicâ arte intra Batauię fines auidum Diadematis Caput detinuit. Rectè. Expectet alibi, non apud me, qui hæreditatem adire cogitat, antequam ego delinquam.

ANIMAD. VI. Scripſeram Palatinus in lucro ponere poteſt, ſi vel nudus extra Imperij fines viuat, &c. Animad. *Non obſcurè innuit Fabius capitale ſuppliciū immi-nere Palatino, ſi in Cæſaris manus incidat.* CAST. Nihil minus innuo, quia alia ſunt exilio potiora: nonne maius malum carcer? in eo certè & Principes, & Reges minùs Palatino noxij ſæpe aliquot annos, aut ætatem in luctu, ſqualoréq; traduxêre; potuiſſet & id euenire Palatino, ſi captus fuiſſet. De ſupplicio inferendo nihil vnquam in mentem venit, niſi cùm innocentiſſimæ Principis Mariæ Stuardæ cædem memoraui, & vobis exemplum obieci contemplandū, vt ipſi diiudicaretis, quid futurū fuiſſet, ſi Catholicis Caluiniſticam immanitatem libuiſſet imitari, nam illa alienam fidem ſequens, nō crimen vllū, ſed ſuſpicionem duntaxat criminis luit: vos ipſum crimen grauat. *Sane Reges*, inquis, *(quibus Electores æquiparantur) in bello etiam iniuſto captos, occidendos non eſſe multorum opinio eſt.* Reſpondeo & meam hanc eſſe opinionem, quia Palatinum tuum cupio viuere; ſed meliùs, & religioſiùs. At at cur vos Caluiniſtæ eandem opinionem non prętuliſtis quoq; in ſuſpicione illa cōtra Scotam, Palatinæ veſtræ auiam? an non & illa Regina fuit? cur ceruices eius ſecuri ſubieciſtis? Clementiam in vos aliorum amatis, nullo eiuſdem in alios ſigno.

CIR-

CIRCA CONSIDERATIONEM VNDECIMAM.

ANIMADVERSIO. Scripſeram à Caluiniſtis Turcam miſſis oratoribus in capita, & fortunas Catholicas ſollicitatum. *Negatur*, inquit Animaduerſor. CAST. Imò verò niſi dixiſſem iam, & dicerem, & repeterem, quia Catholicus orbis ſenſit.

CIRCA CONSIDERATIONEM DVODECIMAM ET DECIMAMTERTIAM.

ANIMADVERSIO I. Scripſeram in ſuperiore Palatinatu ſpeciem aliquam Lutheraniſmi ſupereſſe, ſed miniſtros in verba Caluini iurare. ℞. Animaduerſor. *Sane hoc veritati conſentaneum nō eſſe, totus ſuperior Palatinatus teſtari poteſt.* CAST. ℞. 1. Palatinatū teſtari nihil poſſe, quia prædicantes corā populo Sacramentum (cuius forma Caluiniſtica eſt) nō dicūt. ℞. 2. Nemini fermè Lutheranorū Prædicātium animū fuiſſe in Palatinatu illo Verbum factitare, tātis cum ingratijs Caluiniſtarum præſidum, quibus Lutheraniſmus deteſtabilis, & idcirco inuenti ſunt, qui credo, nulſius religionis fuerunt, vt omnium eſſent, ac gratiam vtrobiq; captarent. Certè quidam Parochianis ſuis, hoſtiam & calicem prębuit, ipſe verò bolū Caluini eſurijt, & liguriuit. Alius quoq; repertus, qui ſe libidini poſtulantis accommodauit, nunc bolum,

nunc

nunc hostiam dispertiens. Lutheranismum demulsit, vt Caluinismum propagaret.

ANIMADVERSIO II. Scripseram Bauarum prætendere ius ad Electoratum. ℞. Animaduersor. *Ius nimirum ab inferis reuocatum.* CAST. Non ausim omnino abnuere, fortasse Progenitores Palatini ius illud, (quo spoliati contra pactiones Bauari,) secum ad inferos tulére, vt inde reuocaretur. Ad Auream Bullam, de qua iterum hîc ampullas proijcis, iam suprà respondi.

ANIMADVERSIO III. Scripseram, Agnatos repelli ob Palatini in Cæsarem Ferdinandum Dominum facinus, & ità leges sancire. ℞. Animad. *Negatum hoc fuisse in votis à Saxonicis, & Brãdeburgicis Ratispona.* CAST. Quod duorum Principum Electorum Legati negauêre, plurium affirmauêre. Quanquam quomodo votum Saxonis intelligendum sit, ipse facto explicauit, cùm Bauarum Collegam salutaret.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM QVARTAM.

ANIMADVERSIO V. Scripseram in Vngaria tot Lutheranos numerari, quot Thebis portas. ℞. Animad. *Si non ludit Fabius, sed seriò agit, necesse est illum rerum Vngaricarum non nimis peritum esse.* CASTIGAT. Quamobrem mi homo? Vngariam etsi oculis nõ lustrarim,

rim, aliunde tamen cognitam habeo, & ſcio in tanta variarum religionum turba, non eſſe magnam Lutheranorum phalangem. Caluiniſtæ, quocunq; tandem numero ſint, ſceptro ſuperiores ſunt, vt taceam multos Lutheri præ ſe ferre nomen, Caluini amorem.

ANIMADVERSIO II. Exagitat Animaduerſor quãdam meam comparationem Heidelbergẽſium cum Bohemis ciuium, & inter cętera ait, *Ius regni apud Bohemos controuerſum fuiſſe.* CAST. Rectiùs dixiſſet; inter Ius, & Caluinianos controuerſiam fuiſſe. Ius Cæſari per electionem acquiſitum nulli obſcurum fuit, niſi fortaſſe rebellibus Bohemis, qui æquum nec videre, nec fecere.

ANIMADVERSIO III. Edictum Palatini recitârã, quo Electores Eccleſiaſtici & Saxo, nouâ honoris formulâ appellantur Mordtprædicanten. 2. Latrociniorum auctores, architecti, & fabri. Item conuentus eorundẽ Mülhuſij celebratus (Blutrath) concilium cruentum; & Saxo contra tria Sacramenta perfidus nominatur. ℞. Animad. 1o. *Palatinum hac de re apud Saxonem prolixè ſe excuſaſſe. 2. à Proceribus regni Edictum illud profectum improbante Palatino, & ſubſcripturum calamum cohibente.* CAST. Excuſationem ego non vidi; iudicare tamen ſine oculis poſſum fuiſſe vafram, & Caluiniſticam. Deinde haud admodum opus erat, vt manum ſuam Palatinus adderet, nomen eius cum Regijs ti-

M tulis

tulis præscriptum erat, vt non nesciretur, cuius auctoritate tam superba & iniuriosa charta niteretur.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM QVINTAM.

ANIMAD. I. Scripseram proscriptionem promulgatā esse sincerâ iustitiâ. Respond. Animad. paucis, & me aliò ablegat, tanquā ipsius nuntius essem. Verba mea repeto, & tamdiu repetam, quoad Animaduersor illa diluat, non inficiando tantùm, quia sic quilibet refutauerit, sed demonstrando iniquitatem nostram; suam leuiore operâ poterit.

ANIMADVERSIO II. Scripseram Caluinianos à Caluino vocari, sicut Aristotelici ab Aristotele, & Platonici à Platone vocantur. ℞. Animad. *Reformatos* (ita suos semper appellat, quòd Caluini nominis eum pudeat) *non iurare in verba Caluini, nec Caluinum pro capite habere.* CAST. Non est hoc perpetuum, mi Animaduersor, vt discipulus in verba Magistri iuret, sicuti neq; Aristotelici hunc morem habent, & tamen à Magistro nomē trahunt, cur vobis verecundiæ sit, tanti Euangelistæ nomen honorare appellatione illustrissima? *Debebant*, inquis (Caluiniani nimirum) *à vobis Ligistis Christiani, non autem odiosè Caluiniani appellari.* ℞. Quis vos hac nomenclaturâ nosceret? Etiam Christianos se dicunt, Catholi-

tholici, Christianos se dicunt Lutherani, Christianos Schvvenckfeldiani, Christianos Anabaptistæ, omnes enim Christum Dominum venerantur, licet dispari ritu. Quis me intelligat, si dicam, Catholicorum hostes sunt Christiani? Neq; ipsi Caluiniani scient se intelligi, nisi fortasse ex facto, quòd contra nos arma ferant. Nomen hoc nos Catholici habuimus antè, quàm Caluinus è Sodoma Geneuam migraret, cur Caluinistæ soli vsurparent, & nomen eius haberent, cuius religionem abiecerunt? *Vos, inquit, Romanenses in verba Papæ iuratis, & Pontificem pro capite Ecclesiæ vestræ habetis. Cur ergo tam ægrè fertis vos Papistas, aut Pontificios vocari, & Euangelicis superciliosè necessitatem vos Catholicos appellandi imponere vultis? Aut Sectatores igitur Papæ non estis, aut Fabij argumentum claudicat, aut vos Capitis vestri pudet.* ℞. Nos in verba Papæ non iurare, sed in doctrinam de cœlo haustam, quam Pōtifex tanquam Christi Vicarius nobis proponit, & vbi quid ambiguitatis est, explicat. Pariter aspectabile in terris Ecclesiæ Caput agnoscimus Pontificem, nulla tamen necessitas est, vt ab eo nomen mutuemur; alioqui quia in Anglia Iacobus Rex se caput Ecclesiæ profitetur, Caluinistæ in Anglia appellari deberent Iacobitæ, & in Palatinatu Fridericiani, nam & hunc augur or esse caput suę Ecclesiæ, alioqui sine capite monstrosa foret, quanquam et-

jam monstrosa est cum tali Capite. Cùm *Papistas* nos, aut *Pontificios* nominatis, nõ exardescimus, quippe qui Ecclesię corpori, hoc Caput probrosum esse nõ putemus. Catholici nomen nobis iure debetur, habebimúsq; illud vobis indignatione crepantibus, quamdiu habuerimus doctrinam, quę ab Apostolis ducto exordio semper vbique, apud omnes eadémq; fuit, illibatáq; permansit. Vestra heri primùm ex Caluinianis pediculis, quorum morsiunculis Caluinum perîsse ferunt, exitioso Europæ fato nata est, vt nec semper fuerit, nec vbiq; ; laudabilior futura, si nunquam fuisset. Quare argumentum meum non claudicat, sed fortuna vestra, quam rebellione euertistis.

ANIMADVERSIO III. *Agit Fabius de æquiuocationibus, & adducit elegans exemplum per quod præsupponit, caupones Germaniæ vulgò latinè scire.* CAST. Nihil suppono. Exemplum æquiuocationis in lingua latina latinum esse oportuit, in germanica germanicum narrâssem, æquè fortasse tuis cauillationibus expositum, qui cùm æquiuocationem omittis, mendacium vsurpas.

ANIMADVERSIO IV. *Venit Fabius ad Regicidia, & asserere non veretur, neq; consilio, neq; manu Iesuiticâ tantum nefas patratum. Quod ad manum attinet, siue per homines subornatos, & miris præsti-*

præstigiis, ac persuasionibus fascinatos, siue ipsi talia scelera patrauerint, non multum refert, quia secundum iuris regulam, quod quis per alium facit, ipse facere videtur. CAST. Scilicet absq; te Doctore nesciſſemus iſta Themidis arcana. oſtende ſis aut per ſe, aut per alios, funeſti quid Ieſuitas patrâſſe. Nã quæ de ijs aut Thuanus Gallus, aut Coquus Anglus Ieſuitarum hoſtes ſcribũt, paruum habent pondus. Duos illos Galliæ Reges ferro interfectos non fuiſſe Ieſuitarum conſilio, quanta quanta eſt Gallia, teſtatur; id nunquam immanibus etiam tormentis exſculpi ex reis potuit. Vnde ergò tu, aliiq; Caluiniſtæ id eruent? Doceri autem à Ieſuitis Reges interimi poſſe, ſi alieni à Catholica religione ſint, Caluiniſticũ, & execratione dignum figmentum eſt. Legi de Tyrannicidijs illorum libros, & inter mitiſſimos iudices reperi, ſed nihil ad me iſta. Ieſuitæ cùm nec manus nec calamos torpentes habeant, ſua defendere nôrunt, ego alteri militiæ nomen dedi.

ANIMADVERSIO V. Scripſeram Caluiniſtas quotidianos cultros in Mauritium acuere. ℞. Animaduerſor. *Tota Hollandia teſtatur, Arminianos eſſe, qui talia machinentur, quippe Pelagianos, & Semi-Ieſuitas.* CAST. Arminiani æquè Caluiniani ſunt, atq; Gomoriſtę, ſeu Puritani, qui Regi magnæ Britanniæ inſidias ſtruxerũt, vt moreretur antequam naſceretur. Extat ipſius querela. *Semi-Jeſuitas,* Arminianos eſſe quo argumento

 ſuades?

suades? Fortasse quòd ipsimet laudabiliùs sibi ducant in vno, alteróue religionis capite Iesuitis similiores esse, quàm Puritanis, per euersa patriæ sacra penitus impiatis.

Animad. VI. Scripseram Iesuitis multũ operę esse, vt calamo portentosa Caluinistarum dogmata depingãt. ℞. Animad. *Iesuitis multum operæ esse, vt Patrũ opera nefarie castrent, & adulterent.* Cast. Nisi exemplo, mi Animaduersor, huius adulterij, & temerantis sicæ facinus probaueris, nemo tibi fidem habebit: Sed dicis, *experientia id testatur*; aliquid haud dubiè *testatur experientia*, sed te mendacem esse; exemplum postulo. Quòd omnibus libris hîc à te commemoratis non respondeant, causas vtiq; habent; non omnis codex de vestro luto confartus responsione dignus est, & iam sexcenties omnia vestra argumenta protrita sunt. Ex prostratis pridem hostibus nemo gloriam petit. Confutationis quoddam genus est, insulsas Caluinistarum prædicantium saliuas contemnere. Mihi saltem alia arena placet.

Quia Camerarius Cancellariæ Hispanicę auctor, Iesuitas conuitijs incesserat, quasi sicas & bella tractarent, regesseram ego hęc verba. De armis, de bellis, de cædibus, de reorum supplicijs, tantùm illis labor, quantùm vobis (Caluinistis) precum in Catholico templo, cùm Missa legitur. Intratis, vt exeatis. *Quid igitur*, hoc loco, inquit Animaduersor, *fecerunt in tota illa tragœdia Moscouitica suppositity Demetrij? Quid faciunt etiam-*

num

num hodie Jesuita Regis Polonia in subditis Regis Suecia ad seditionem mouendam incitandis? Quid vester Adamus Conzen? Nonne lib.10. Politicorum de bello, & de armis, & de omnibus, qua ad cognitionem rei militaris pertinet, prolixè & ex professo agit? R. 1. hæc ad me parum pertinere, cùm suo sufflamine Iesuitę tuti esse possint. R. 2. Iesuitas eam operam impendisse Demetrio (quem tu *supposititium* tam audacter affirmas, atq; si à tua matre, te vidente suppositus fuisset) quā impendunt alijs Principibus arma iusta mouentibus; quo in genere bella nec volunt, nec concitant; Bellantes tamē religiosâ functione iuuant, sed fac eos quoq; suasisse Demetrio bellum, si aliter auitum recuperare non posset regnum; quid peccassent? Tu & tui similes ausi fuistis consilio impellere Palatinum, vt regnum alienum bello appeteret, occuparétque, & alijs nefas sit ad defendenda sua hortari? Dices, *Demetrium quoque ad aliena adspirasse.* Respond. Id nulli mortalium constitisse, neque dum constare, Demetrium illum solo mendacio Demetrium fuisse; tanta enim prodebat indicia, vt etiam à prudentibus crederetur magni illius Imperij esse hæres. Certè qui tibi Historicorum huius æui coryphæus est Thuanus, extremo Historiarum suarum libro CXXXV. à tua temeritate dissentit, dum inquit. *Verúsne an falsus hic Demetrius fuerit, fama in ambiguo*

biguo reliquit. Animaduersori autẽ meo fictus est, quia Catholicus est. Quòd si Caluiniana placita illi placuisset; iam Syllabo iustorum Moscouię Principum à Caluinistis inscriberetur, & lueret Suiscius, eius parricida, facinus suum immortali inuectiuâ.

Quid *hodie Polonici Jesuitæ* faciant, me latet; cõtra legitimum Seciæ Regem procul dubio seditiones non concitant, is est autem Serenissimus Sigismundus, qui ad clauum Poloniæ sedet. Ille qui in Suecia coronam gestat, alterius vertici raptâ superbit, pari propè iure, quo Palatinus annuam in Bohemia gestauit. Quid cum Patre Conzen tibi vis? *Scripsit is lib. 10. de bello.* Ergò hoc agit, vt Principes Bellonæ spiritu inflet, & Martias tubas concitet? Scribit quibus legibus, quibúsue modis gerendum bellum, si geri necessitas cogat. Quid hic mali? imò multa in bello mala, atque idcirco eius auctores vbique Caluinistæ sunt.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM SEXTAM.

Animadversio I. Scripseram de Moguntino Electore ista. Quòd Spinolam consilio & ope iuuit, respectu Cæsaris fecit. ℞. Animad. *Fatetur ergo Fabius Moguntinum aliquo respectu transactionem Vlmensem violasse. At nullo plane debebat, nulloque pra-*

prætextu, quicunque tandem excogitari posset. Neque enim bona fides, & expressa eiusdem transactionis verba id patiuntur. CAST. Parum abest, quin me opinione tuâ in casses agas, Animaduersor. Vi Vlmẽsis pacti aduersus Palatinum arma tantùm posuit Moguntinus, non verò etiam obseruantiam erga Cæsarem, cuius Ducẽ impedire nec potuit, nec debuit; impediuisset autem si & transitum negâsset, & opem in subuectando commeatu: Neq; insuper aut Bauariæ Princeps, aut Moguntinus spopondêre, se consilio partes Cæsaris non adiuturos. Quis enim hoc exigeret ab Imperij Principibus? malè postularetur id, malè præstaretur.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM SEPTIMAM.

ANIMADVERSIO I. Scripseram Caluinistas rerũ euentu (olim in Belgio) anxios suasisse per Legatos pacem, non amore pacis, sed ne Belgæ ipsorum tribules opprimerentur Hispani potentiâ. ℞. Animaduersor *me rerum Imperij imperitum; neque enim à Belgis, sed ab Hispanis pacem quæsitam.* CAST. Quasi ignotum esset Orbi non etiam subinde metu concussos Belgas maluisse quietem, quàm gladios Hispanienses. Verùm dô, quod vis Hispanos belli pertæsos pacem ambiîsse; tum vestri Legati in Hollandiam iêre, vt bellum suaderẽt, neq; enim

Caluinistæ vnquam de pace cogitant, nisi cùm victi sunt, quamdiu vincunt, bellant; mite genus hominum, cùm clementiâ egent.

ANIMADVERSIO II. Scripseram communem libertatem potiùs per Caluinistas, quàm per Hispanos interituram. ℞. Animaduersor. *Hoc inter paradoxa Fabij referri posse.* CAST. Referas mea quocunque voles. Pragam certè non referes, triste ibi malè conscijs cœlum: sed agè, quem ex Imperij Ordinibus adhuc Hispanus oppressit? Tuus Palatinus magnum Principem oppressum ibat, iturus in plures si sors fauisset.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM OCTAVAM.

ANIMADVERSIO I. Scripseram ego, ciuilitatis ergo, & vt maiore cum gratia Principum omnia faceret, causę tantæ molem Comitijs Cæsar destinabat, sed quia multi Ratisponæ non comparuêre, cum præsentibus fecit, quod solus poterat: & mox subiunxi rationem, quòd alia esset proscriptio in pace, alia in bello iuris ordinis non semper patiente. ℞. Animaduersor 1. *Legatos Saxonicos, & Brandeburgicos dixisse necessitatis fuisse, quod ego ciuilitatis appello.* ℞. 2. *distinctionem meam non inueniri in Capitulatione.* CAST. Quam duorum Principum Legati protulere sententiam, alij nō sunt amplexi,

&iam

& iam de Saxone mutatæ mentis publicum extat iudicium. Deinde paucæ distinctiones in ipsis legum verbis exprimuntur, idcirco Interpretes faciunt, quod lex prætermisit, quippe intelligentibus scripta, quibus ad comedendum non est opus manso. Dixi suprà atrox & noxium morâ crimen, iuris sollemnia non ferre, imò si ius non esset, in exitium Reipublicæ ruentes sine aliorum consilio compescere, properato scelere fieret.

CIRCA CONSIDERATIONEM DECIMAM NONAM.

ANIMADVERSIO I. Scripseram si Princeps tuus paratus fuit accipere quascunq; conditiones, quid ita non significauit Cęsari? Respondet Animaduersor. *Nomine Palatini æquissimas, & Cæsari, & domui Austriacæ vtiles conditiones, obtulit magnæ Britanniæ Rex.* CAST. Me clàm non est, Socerum vbiq; æquiorem fuisse Genero. obtulit is conditiones Cæsari ex suo sensu, Palatino haud quaquam annuente. Quo enim indicio Soceri postulata probauit? à pacificatione semper abhorruit, & ante sesquiannum cùm rursus ad compositionem sollicitaretur à Socero, scriptis ad Gaborem litteris, fidissimi pectoris arcana deposuit. Importuno nimirum indicabat Soceri hortatu, sibi tandem ineundam esse paciscendi rationem, ita tamen se rem acturum, vt rerum summæ ni-

hil derogetur, & perinde sit, atque si nihil egisset; planè ex ipsa Caluinistarum arte, qui nunquam paciscuntur cum damno, quæ enim iure non obtinent, astu acquirunt, vt totum habeant, de quo paciscuntur.

ANIMADVERSIO II. Scripseram Daniæ Legatos apud Cæsarem precibus institisse, vt clementiâ finiret, quod iustitiâ inchoâsset. ℞. 1. Animaduersor, *me dissimulare eundem Regem etiam per quendam Legatũ Cæsari non obscurè significasse, sibi proscriptionem Palatini iuri, & regiæ Capitulationi parum consentaneam videri.* ℞. 2. *Verba, quod iustitiâ inchoâsset, esse glossam Fabij.* CAST. Quę mihi incomperta sunt, dissimulare non possum. Quis mihi omnia referat, quæ in Aula Cęsaris aguntur? parum autem refert, etsi Palatini cognatus, Palatini proscriptionem pro parũ iusta habeat; longè aliter iudicaturus, si parem regni æmulum in Dania sua expertus fuisset. Verba illa, quòd *Iustitiâ inchoâsset,* sine dubio mea sunt, sed ex prioribus efficiuntur; nam qui *à Clementia* pœnę remissionem postulat, hoc ipso indicat, pœnam per ius & fas irrogatam.

ANIMADVERSIO III. Fabius negat Concilium Constantiense definiuisse fidem hęreticis datam seruandam non esse. ℞. Animaduersor. *En Canonem, en definitionem: sess. 19. ita statutum fuit. Quocunq; saluo conductu per Imperatorem, vel per Principes sæculi*

hære-

hæreticis, vel de hæresi diffamatis concesso non obstā-te, posse Ecclesiasticum Iudicem cōtra Hæreticos procedere, & Politicum Iudicem, qui saluum conductū dedit, eo non teneri, si fecit, quod in se fuit. CAST. Piscibus insidiabaris, hamo gamarus hęsit. Vbi sunt in laudato canone verba illa, *fidem hæreticis seruandam non esse?* Princeps Politicus si fidem interponat, fidem seruet: si interposuit Ecclesiasticus, seruet; si alius interposuit, seruet, & quidem omni modo quo potest. Si frustra nitatur, si omni ope tueri non possit, quod fide datâ promisit, nec crimine, nec infamiâ laborabit; si quem iuuare non potest, destituat. Si Husso, propter quem hoc Conciliū statuit, fides data fuit ab Imperatore, Imperatoris fuit eum, quâ licuit, vindicare, quod & gnauiter præstitit. At cùm inaudijt ab Vniuerso prope cœtu Constantiæ ad Ecclesiæ cōmodū coacto, Tribunalis sacri esse de hęresi cognoscere, & crimen hæresis, eiúsq; sectatores ad arbitriū Ecclesiæ pertinere; spoliare Cęsar Ecclesiā iure suo non potuit. Igitur Constantię Patres, qui nullam fidem dederant, tulêre in pertinacem hęreticū sententiam, legibus præscriptam, nullo iure violato, quia Cæsar pro se spondere potuit; pro Concilio, ad quod iudiciū hoc pertinebat, spondere non potuit: ita nemo tum fidem fregit, quia Concilium nihil promiserat. Dicis. *Quòd verò Fabius addit Sigismūdum Cæsarem fidem Husso datam seruâsse, plane fidei*

historia repugnat. Nam erat in ipsius manu Hussum seruare, si voluisset. Quis enim ipso inuito, & vetante rogo imponere, & comburere Hussum ausus fuisset? Respondeo Cęsari omnino potentiam fuisse ad arcendam ab Husso vim, & potuisse eũ per armatum Imperium seruare; sed, vt loquimur in scholis, moraliter nõ potuisse, quia ordinem Ecclesiasticũ suo iure spoliare in Hæresiarchæ fauorem, nec æquum videbatur, nec erat. *Sigismundus in eo,* ais, *grauiter peccauit, quod se ministrum sauitia Pontificum, & Sacerdotum prabuit, quando homines innocentes in manus hostium immanissimorum tradidit.* Respondeo ex hoc solo loco manifestum esse, quanti religionem veterem, & virtutem ęstimes, apud quem potiori loco est infamis, ob hæresin totius orbis calculo damnatam, Hussus, veteramentarij progenies, quàm Sigismundus omnium historicorũ calamo laudatissimus Cæsar, qui tibi *sauitia minister,* & lictor est, Hussus autem & Hieronymus homines innocentes sunt, non secus ac tu innocens es, Caluinismo delibutus.

ANIMADVERSIO IV. Scripseram nullum Electorẽ de statu suo deiectũ, sed hominem proscriptum, & publicæ paci noxium. ℞. Animaduersor. *Plane eodem modo solent negare Iesuita, se in libris suis docere, quod subditis liceat occidere, aut de solio deturbare reges suos.*

suos. Nam Reges hæreticos, & à Papa excommunicatos non esse Reges aiunt, sed Tyrannos, & vt tales licitè occidi, aut regno eÿci. Ita æquiuocationibus ludunt. CAST. Bona verba mi vir. Cùm scripsi *nullum Electorem de statu suo deiectum, sed hominem proscriptum*, te phraseologum imitatus sum; nam & tu perpetuò inculcas vos Archiducem dũtaxat, non autem Cæsarem bello prosecutos. Cur mihi non liceat, quod vobis licet? Multa nescirem hoc in genere, nisi à vobis discerem. Iesuitæ sub mea clientela non sunt, vt necesse habeam eorum causâ ferrum nudare, & te mentientem coërcere. Relinquo hæc sacra bella ipsis nō inexercitatis bellatoribus, quibus insignem hoc loco iniuriam irrogas; nemo enim ex ijs scribit, Reges excommunicatos esse Tyrannos, licitéq; occidi. De iustis Tyrānis summâ crudelitate, ac morum peruersitate depictis, ac notis, quibusdam disputatio fuit, quorum effigiem Caluinistæ propioribus coloribus exprimunt, quàm Reges Hæretici, aut excommunicati. Vbi enim illi iudiciariam sellam ponunt, ibi sæuit ferrũ, calet ignis, tenet laqueus, suffocat vnda, perdit rabies.

ANIMADVERSIO V. Supremum Bauari Electoris Cancellarium largiorem, benigniorémq; in promissis Vlmæ, quàm rebus posteà ostensum fuit, auctor Cancellariæ Hispanicæ laudauit, exiguæ cum obtentu gratiæ; respondit enim Amplissimus Cancellarius, cùm eum super hac re compellâssem, Camerarium hominem esse vani-

loquum.

loquum. Ergò vt suum Achatem Animaduersor defendat, ita hîc infit: *Quidquid Fabius dicat de Cancellario Monachiensi, constat mentem paciscentium Vlmæ fuisse, & verba pacti expreßè hoc velle, ne Palatinatus à Bauariæ Duce, vel ab aliis ipsius nomine, qua ratione & prætēsione id fieri, vel excogitari queat, quibuscunq; præparationibus bellicis inuadatur, & sub his verbis (qua ratione, & prætensione id excogitari queat) etiam proscriptionem, de qua sæpe inter paciscentes mentio facta fuerat, intellectam fuisse omnes Vniti vno ore interrogati respondebunt. Cācellarius etiam his verbis vsus est, se sperare non deuentum iri ad Bannum, & superesse adhuc alia media ad pacem perueniendi. Cancellarium etiam non fugiebat, mentem Vnitorum paciscentium hanc esse, vt sub verbis supra positis etiam proscriptio intelligeretur, & excluderetur apud omnes Vnitos in confesso est.* CAST. Nihil stipulatus fuit Elector Bauarus aduersus obseruantiam, & imperium Cæsaris; aut proba ex conuentorum forma, quæ typis vulgata in omnium manibus est. Qualis qualis mens Vnitorum fuerit, alia Legatis Bauaricis fuit, quam palàm patefecêre, neq; enim admittere volebant, vt quid iniretur vtriq; parti probrosum, quale fuisset pacisci, ne obediretur in re iusta Cæsari. Quòd si vos tātopere formidâstis imperiū Cæsaris, quid causæ

causæ fuit, quòd post Pragensem cladem non declinâstis iram Cæsaris? mitigandus erat Cæsar, & vos rursus prouocâstis, Palatinus contumaciâ, Mansfeldius perpetuatis in Bohemia armis, Veerius vexatione populorum Spirensium, Halberstadius nouo militum delectu. Pacem certè, si qua fuit, rupistis; vt minùs tibi mirum accidat, resumpsisse nos arma. Mutua sunt pactionum vincula, vbi aduersarius suam partem soluit, me mea non tenet.

ANIMADVERSIO VI. Scripseram de profectione Constantinopolitana Comitis Turnij. ℞. Animad. *Frustra. Nam verissimum est Comitem Turnium nullas à Palatino litteras, nullam commissionem habuisse.* CAST. De litteris non laboro, quia homo missus est, qui loqui potuit: de commissione dubito; & demus nihil mandati Turnio datum, fuit tamen acceptum, velà tacente Palatini animo; ita volebat.

Ponamus, inquis, *Palatinum à vobis dignitate, & bonis exutum ex quadam veluti desperatione à Turcarum Sultano auxilium petere, nonne vestra ambitio, fastus, & animi impotentia potius, quàm Palatinus, hac in parte accusanda esset?* ℞. Nequaquam nos accusandos esse, quia vos primò auxilium Turcicum quæsijstis, antequam egeretis. 2. Vobis prælio Pragensi pulsis alia ad veniam impetrandam, & recuperandi vestra via patebat; alia, inquam, & longè honestior, quàm

iter Turcicum fuit. Si *ambitio vestra, si fastus, si animi impotentia* flectere se potuisset, & Cæsareæ se clementiæ submittere, redijssetis ad vestra, neque nostra arma vltra prolata fuissent. At vos nullâ clade fracti, non de venia, sed vindicta solliciti, superos & inferos concitâstis, vt nos rursus nostris spoliaremur. Quod nobis facere cogitâstis, habete.

Dicis. *Si Comes Turnius à Principe Transyluano, & eiusdem sumptu Constantinopolim missus, non tantum res Principis magna cum fide, & diligentia tractauit, sed etiam eadem opera sibi, reliquísque exulibus Bohemis, & Morauis, ex quorum facultatibus & bonis iam complures Bauari, & Ligistici Thrasones lautè, & splendidè viuunt, consulere studuerit, quis vel adeò imperitus est, vt miretur, vel adeò iniquus rerum æstimator, vt criminetur?* Respondeo me de Turnij diligentia, pro quocunq; tandem adhibita contra Cæsarem, nũquam dubitâsse, neq; de studio iuuandi se & suos. Sed quid fuit opus ope Turcicâ? laudabiliorem inuenisset apud eum ipsum, quem tã grauiter offenderat, Cæsarem. Viderat iam multa clementiæ exempla; sed superbo ingenio non placuêre; libuit potiùs Cæsarem euertere, & armis in patriam redire, quàm imploratam amplecti gratiam, ignobile mendicationis genus. Quòd *quidam lautiùs iam viuant* ex facultatibus

exu-

exulum, quæso ne inuideas, paulò antè & vos ita vixistis; neq; enim Rex tuus alienum regnum inuadere poterat, nisi alium pepulisset, neq; Camerarius Silesiæ Cancellarius fieri, nisi alterum spoliâsset. Quæ de nobis conquerimini, à vobis didicimus, cùm experiremur.

Quod de cultro, ais, *Mufti Turcici pro more mordaciter effutit Fabius, hac in parte illum iterū incerta & ficta, pro veris & certis Lectori obtrusisse, iam post Comitis Turnij reditum in aperto est.* ℞. te aut desipere, aut insigniter malitiosum esse, qui præteritis meis verbis alienissimam mihi mentem affingis; non affirmaui, quod ipse non credidi; neq; enim credidi tā proiectæ impietatis esse Turnium, vt abiurato Christo Mahumetis sacra mallet. Scripserat Palatinus tuus ad Gaborem hæc verba. *Cæterùm cùm intelligamus Comitem Turnium Constantinopoli iam excessisse, nihil magis desideramus, quàm vt breui ad nos fidum hominem Serenitas V^a. ablegare posset, per quem de consilijs eius accurate edoceri possemus, quæ Serenitati V^a. necessariò significanda duximus.* GVidelic.

Ad hæc Palatini verba, mea adieci hunc in modum. Siste parumper hîc Camerari, & enuntia, quid tantoperè cupiscat scire Palatinus per fidum Gaboris hominem? an intelligere auet à Turnio, quàm bellè Turcarum Imperator valeat? quàm quietè dormiat? quo genere ludi se ob-

 lectet?

lectet? Quid magnus Mufti agat? An cultro eius Turnius se permiserit, & circumcisus sit? Hæc vtiq; magnâ cupidine expectat Palatinus. Videat Lector ipsam lituram, pag. 263. & miretur manifestissimas Ironias aduersarium ad seria dicta trahere, neq; enim Palatinus eiuscemodi pernoscendi desiderio tenebatur; sed scire cupiebat, an à Turca auxiliũ, aut re, aut spe afferret, nam hoc vnum ad iter tam famosum impulit Turnium.

Animadversio VIII. Scripseram: sciuistis Ferdinandum legitimum Bohemiæ Regem, atq; adeò agnouistis, imò regem esse professi estis. ℞. Animad. *Errat Fabius, & res longè aliter se habet. Electores Ecclesiastici Ferdinandum Regem agnouerunt, & vt talem in Senatum introduxerunt, trium Electorum protestantium Legatis non aperte repugnantibus.* Cast. ô quæ tibi verba excidunt Animaduersor! Aduertit ad eã Saxo, & te toruùm vt falsiloquum intuetur: repugnârúntne illius Legati, & ægrè ferebant Ferdinandum ab Ecclesiasticis Regem Bohemiæ haberi? *repugnârunt*, inquis, *non apertè*. Ergò occultis sermonibus regium ei honorem detraxere? Quid loqueris? Ne fateri cogaris, quod tibi exprobratur, in retia te induis, & alios quoque inuoluere moliris. In tanto Imperij negotio, qui clàm mussitat, cùm palàm loquendum est, Imperij proditor potiùs est, quàm consultor; si ergo vos re-

pugnâ-

pugnâstis, & non apertè, iam nôsti, quomodo vos indigetem? Saxo Ferdinandum Regem agnouit semper, imò & propugnauit: Vos, & Brandeburgici si non apertè repugnâstis, etiam probâstis: quia qui tacet, consentire videtur, certè præsumitur.

Veruntamen, inquis, *Legati Palatini in votis suis Francofurti semper causam Bohemicam à negotio Electionis Regis Romanorum separarunt; iura, ac priuilegia regni expressè exceperunt, & Ordinibus Bohemiæ se nullo modo, nec vlla ratione præiudicare velle in Consessu Electorum aliquoties protestati sunt, vti hæc eorũ protestatio etiã Electoralibus protocollis ad perpetuã rei memoriã inserta fuit.* ℞. Ad perpetuã rei infamiã hanc protestationem vestram insertã esse: vestra egistis, cùm rebelles defendistis. Quid ad vos attinebat rebelliũ in Bohemia furor? patrocinium haud dubiè suscipiendũ fuit illorum, quorũ mox futurus Palatinus Rex erat. Hinc tãta cura & sollicitudo regni Bohemici, nõ vt iura seruarentur, sed vt contra iura Palatinus illud inuaderet, muniente inter cæteros viam Camerario, qui per id tempus taratantaram inflauit, Bohemósq; velut thyrsigeras Bacchas, stimulante temeto, concurrentes per litteras instigauit, vt legitimum Regem diademate spoliarent.

ANIMADVERSIO VIII. Scripseram Bohemos, Co-

ronæ vſurpatores à ſummo illo Senatu, quem per impudentiam affectauerunt, ignominia repuliſtis. ℞. Animad. *Malè, nam Legatis Bohemicis non ab Electorum protestantium Legatis (hi enim audiri illos æquum, & mori maiorum conſentaneum putabant) ſed à tribus Electoribus Eccleſiaſticis in abſentia ſæcularium ſuo arbitratu in Collegio dominantibus, contra libertatem, & dignitatem Imperij, & contra ius gentium aditus in Senatum, & audientia denegata fuit.* CAST. Si per te ſtetiſſet, vt video, Bohemis ad purpuræ cõſeſſum adſpirantibus, iam ſella poſita fuiſſet Ferdinando repulſo. Paulò antè dicebas, vos cauſam Bohemicã ſemper ab negotio Electionis ſeparâſſe; quid ergò opus erat ad Eligentes admitti rebellium Legatos? ſi ſeparatum hoc negotium eſt, non in ipſa Imperatoris Electione, ſed finitâ illâ tractetur. Duas autem hîc plagas Electoribus infligis Eccleſiaſticis; altera eſt, quòd dicere audeas eos *pro arbitratu in Collegio dominari,* hoc eſt, non agere ipſos Senatores, ſed poteſtatis maioris, quàm deceat, vſurpatores. Altera eſt, quòd effutias ab ijſdem *contra libertatem Imperij, & ius gentium Bohemos nec admiſſos, nec auditos.* Quaſi verò opus ſit vbiq; & quocunq; tempore rebelles audire? Venerant eò, quòd non neſciebatur, vt legitimo Rege extruſo, ipſi Septemuirorum ſubſellia occuparent, atq; adeò electionem aut dubiam redderent,

aut

aut impedirent; perniciosè omnino: prudenter ergo factum, cùm reiecti sunt. Dein quis Principes adiget, vt rebellium manifestorum Legatos audiant? iam in luce versabantur, & certum erat eos non venire, vt Electionem promouerent, sed disturbarent; vt taceam potiùs, contra ius gentium fuisse, populos alteri subiectos iuratam obedientiam exuentes, ac contra Dominũ insanientes quocunque tandem fauore prosequi: qui seditiosos amat, facit.

ANIMADVERSIO IX. Scripseram nec Vis fati sinit seruũ vincere, vt Dominus seruiat. ℞. Animaduersor. *Sane hic (vt & aliquoties supra Fabius innuit Electorem Palatinum esse seruum Cæsaris. Sed cui bono ista ingrata, & in libero Imperio suspecta, & nescio quid despotica absoluta potestatis redolentia verba aspergere? Nullus vnquam Cæsar, nulli vnquam Consiliarij aulici vsurparunt, solus Litterator Bauaricus Fabius illa in contemptum Statuum protestantium præcipuè effundere audet.* CAST. Tandem tandem puluisculum in superbos oculos sparsi, qui morsiunculis fatigat videntes. Vocem *Seruus*, mi Vir, vario significatu vsurpamus: mancipium, aut honestioribus etiam ministerijs deditum, hoc loco non intelligimus, sed fide deuinctum, & honorarijs officijs obligatum; imò talem, qualem se ipse scribit Palatinus, cùm Cæsari scribit; neq;

enim

enim credere possum eum, cùm litteris nomen suum subijcit, ita scribere.

Maiestatis V^a

Dominus

Fridericus.

Quod & quàm arctum cuiusque sit erga Imperatoriam Maiestatem vinculum, hîc disputare nō libet, hoc solùm dico, neminem esse in Imperio Procerum, qui Cæsarem non nominet Dominum suum clementissimum, vnde efficitur, quis is sit, quocunq; tandem gradu, qui eū sic nominat: Neq; tu nescis seruum & Dominum relatè dici, & intelligi; sed finio, ne ad Dialecticam prolabamur, & ego iterum appeller *Litterator Bauaricus.*

Quæ de Republica Germanorum ex Thuano disputas, scholis tuis remitto. Gallicas res Gallicus homo agat. Quæ de Rebus Germanicis scripsit, à vobis didicit, & didicit malè, malis præceptoribus vsus. Nos in Imperio Cæsarem habemus, non Burgimagistrum. Tandem abiungere cogitat Animaduersor, cui fortasse nunquam loqui libuisset, *nisi nimia*, vt ipse loquitur, *amarulentia, & aculeatus Fabij stylus linguam veritatis impatiē̃tem soluisset.* Sed scire debet non consuêsse me verba dulcia fundere apud eum, qui meum sanguinem fundit. Omnem belli pestem, sæuásq; nobis cædes intulerunt, & iam ringantur, cùm asperiùs eis loquimur. Quantumuis fre-

fremam, & exagitem vos rebelles, nondum est æqua verborum, & factorum compensatio; meruistis omnia, nec tamen ego locutus sum omnia.

Cæterùm ex *Animaduersore*, hoc loco fit *Admirator* meus seu Camerarius, seu par illi scriptor alius, & ita infit. *Mirari subit, quid sibi velint Bauari, quod in Messem aulici consilij Jmperialis falcem immiserũt. Huius enim propriè erat ex actis Pragæ repertis, excerpere, si quid inerat legibus Imperij minus consentaneum, & ab auctoribus modo in Imperio consueto rationem dictorum, aut scriptorum reposcere. Sed credibile est homines prudentes & circumspectos Bauaris hanc prouinciam, quam odiosam fore prouidebant, lubentes tradidisse.* CAST. Si à Bauaris peccatũ est, quòd Cæsaraneorum potestatem occupârint, eorúmque sententiam anteuerterint, etiam vos, mi Animaduersor, eodem crimine alligâstis. Quâ enim facultate publicâstis Cãcellariam Hispanicam, & Cæsaris ipsius litteras? Dicam, quod tu dicis: *Mirari subit, quid sibi velint Palatiniani, quòd in Messem aulici consilij Imperialis falcem immiserunt. Huius enim propriè erat excerpere, si quid inerat legibus Imperij minus consentaneum.* Quid ad hæc tu sodes? An vobis fas fuit nostra promulgare, nobis nõ erit vestra? sed placet quòd tandẽ apud te superſit adhuc auctoritas aliqua *Cæsarei Senatus,*

cuius alioqui vbique *processum*, vt appellas, abrogatum summis tendis viribus. Ille verò sua interesse nō existimat, si alij extra ordinem temeraria & nefanda consilia vestra patefaciant, atq; etiam castigent, nam cùm vos contra omnem iuris ordinem cōtrouersiam armis cœperitis, quid ipsi vos per iuris sollennia iudicent? Iure Belli Bauari cœpêre vestra arcana, iure belli diuulgant, vt omnis Orbis agnoscat, quàm impia vobis bella fuerint. Quòd si Cęsarei consiliarij *lubentes*, vti tu ais, *tradidêre Bauaris* hoc, quidquid est prouinciæ, recto ordine omnia acta sunt; nam quod Magistratus per alios facit, per se facere cēsetur.

Bauari, inquis, ***supercilia adducunt, frænos iracundiæ laxant, conuitia cumulant; ad summum tanquam pro tribunali sedentes iudicant, condemnant,*** *meras proscriptiones, pœnas, supplicia crepant*. Respondeo. *Bauaros supercilia adducere*, si tamen id verum est, quòd viderint priùs in vestra fronte dominas rugas, quibus seruitutē omni Germaniæ minabamini. Tulimus hos graues vultus, ferte & nostros. Sed de quo tu *Tribunali* in Bauaria statuto loqueris? Bauari neminem proscripserunt, aut pœnâ affecerunt, nisi fortasse proscribere sit, iure naturæ vti, se & sua tueri, insolentes hostes ferro compescere, atque in pedes aduersam aciem conijcere.

Quantum conijcimus, inquis, *ideo feroces* (*Bauari*)

nari) sunt, quod iam Electorem, quo iure, quáue iniuria, domi suæ habent, fortaßis etiam Cæsarem propediē se habituros sperant, & proinde Vice Cancellariatus, Referendariatus, & Bibliothecariatus Cæsareos sibi somniant. Respondeo. Nos meritò lætos esse, nostrum nobis domi esse Electorem, etiam vos lætaremini, si vester domi esset. Deinde *Cæsarem non speramus*, sed habemus, atq; vtinam diu habeamus, vt vobis diu doleat. Viuat Cæsar Ferdinandus, Pius, Felix, & Imperium sibi simile videat antè, quàm videre desinat!

Ais nos *falsò scribere Palatinum viuere miserè, cùm eius mensa regiè instruatur.* ℞ Dixisse nos eum *miserè viuere* apud exteros, & alienis sumptibus quis miretur? adhuc hodie puto eum feliciter non viuere, cùm procul extra patriam alienâ ope viuat. Quàm autem opiparè viuat, & quanta mensæ eius luxuria sit, nescio, quia more tuo parasitus nunquam astiti. Nihil omnium commodorum inuideo, solùm hoc ingemino, vos magnum Principem prauis consilijs vestris fecisse paruum. Mirari tamen hoc loco subit, tam discrepantem tibi esse linguam ab aliorum calamis, longè aliter Maiestatem Regis tui describentibus. *Non ei satellitium, non comitatus nobilium, non splendor aulæ, solitudo domi, solitudo foris, parua spes aulicis, minor res.* Ita ad Turnium scribunt amici, & peregrinis in oris stipem quærunt miseriores post

felicitatem, quam pati non poterant, dum habebant.

At tu mihi etiam Camerari, magnificentiam in ipso exilio deprædicas, cuius tamen ego particeps esse non cupio. Maneat, vbi illi *ad honestissimè viuendum*, vti tu loqueris, *nihil deest*; Heidelbergæ illi antehàc multa defuerunt, & plura essent, si eò rediret.

F I N I S.